PSALMI SEPTEM,

QVI POENITENTIAE TITVLO CELEBRANTVR, TRANSLATI IN LATINOS VERſus Iambicos dimetros, autore non nominato.

QVIBVS ET THRENORVM HIEREMIAE PROPHETÆ, & Pſalmorum quoque aliquot Carmina adiuncta ſunt, compoſita

A

Ioachimo Camerario.



LIPSIÆ

Anno M. D. LXXIII.

GENEROSO NOBILI ET INCLITO COMITI AC DOMINO, DOmino Hermano Comiti ad Neuenar &c. Domino & Comiti ſubiecte colendo:

Joachimus Camerarius:
S. D.

ACcipe generoſe, nobilis & inclite Comes, clemente animo, opuſculum verſuum ab inclita clemẽtia tua ad me aliquando miſſum, editũ tandem & typis expreſſum apud nos. In quo non mea culpa atque negligentia, mora illata eſt, ſed cum alia obſtiterunt conatui, tum expectatio reſponſionis ad literas quasdam meas, quibus perconctatus eſſem, quæ eſſet generoſæ clæmentiæ tuæ de editione iſta, voluntas. Quam quidem reſponſionẽ curatam eſſe non dubito, ſed eas literas ſuſpicor ad me non perueniſſe. Niſi fortaſſe & tẽporum

triſtitia, & tuæ clæmētiæ oblata grauiora negotia, magiſque neceſſariæ occupationes, operā quoq; reſponſionis illius impediuerunt. Confido autem hoc meum ſtudium quod tributum eſt editioni iſti, tuæ inclitæ clæmentiæ nequaquā improbatum iri. Nam de verſuum iſtorum bonitate,& interpretationis induſtria,res eſt manifeſta atq; in medio,neq; mei præconij voce indiget. Autoris quidem nomen,qui tuæ clæmentiæ notus eſt, neq; etiam mihi ſane ignotus, cum tua clæmentia non præſcribi voluerit ac iuſſerit, altero iam exemplo ad me miſſo, non volui atque debui meum iudicium meamq; voluntatē ſequens indicare. Non ignorabitur tamen ille etiā ſuppreſſo hac editione nomine nequaquā obſcuro atq; illuſtri potius. De quo plura dicenda non ſunt. Non etiam contrarium tuæ inclitæ clæmentiæ futurum eſſe credidi, quædam his noſtra adiungi, quibus ſi non ornarentur

abs

abs tua clæmentia mihi miſſa, non etiã tamen illius ipſius quoq; (quemadmodum mihi perſuadeo) opinione atq; ſententia, dedecorarentur. De anapæſtis ſcio generoſæ clæmentiæ tuæ eruditionẽ atq; doctrinam probaturã eſſe rationes meas: Tale genus verſuum recte vſurpari in expoſitione rerum aduerſarum ac lacrimabilium. In qua parte conſideratio quorundam minus diligens reperitur, non perpendentium, quibus numeris quæ veluti materia cõformanda eſſe videatur. Sed neq; de his plus verborum faciendũ eſt. Sane argumentum Pſalmorum iſtorũ mirifice congruit huius ſæculi infelicitati ac calamitatibus, ad quarum ſæuitiam mitigandam deprecando, vt in ira quãtumuis iuſta Deus æternus miſericordiæ immenſæ ſuæ meminerit, inprimis meditatio recitatioq; illorũ apta ac idonea eſt. Nam conuerſione ab impietate & vitiorũ turpitudine pœnitendo, ad pietatis

virtutisq; ſtudium, benignitas diuina gratiam fauoris ſui reconciliari patitur. Atque fuere iſti numero v i i. Pſalmi pœnitentiæ titulo inſigniti. Commenti autem ſunt homines aliquando neſcio malitioſos hos appellari an ſuperſtitioſos conueniat: Iſtorum Pſalmorum tantum pondus tantamq; eſſe dignitatem, vt ſoli ipſi omnium cæterorum æſtimationem atque precium exæquent, patefeciſſe cuidam viro ſancto eum ſpiritum, qui eſt mendax, & cuius prauitatis mendacium origo eſt. Vt iam quantum huic fabulæ fidei habendum ſit, facile perſpici poſſit. Sed iſta nugatoria commendatione hiſce Pſalmis nihil eſt opus, quorum fructuoſam vtilitatem copioſe percipit pietatis & religionis ſenſus, in ijs, quibus curæ & cordi eſt, elaborare ſalutem ſuam in timore & tremore, ſecundum præceptum Apoſtoli Pauli. Quo ſtudio indies magis ac magis vitam defici apparet, exultantem non

ſperan-

ſperando in Deo æterno,& glorian-
tem diligendo nomen eius, ſed in
profana ſuperbia & impia contuma-
cia, & iniuſtorum ſceleratorumq; fa-
cinorum frequentatione. Verum
iſtæ quærelæ ad tuam clæmentiam
deplorandæ non ſunt : Ante cuius
inclitos oculos verſantur, & cuius ge-
nerosam mentem excruciando affli-
gunt, noſtræ ætatis miſeriæ & ærum-
næ tales atque tantæ, quales & quan
tas haud ſcio an nemo pertimeſcere
potuerit, cum omnino nullum præ-
uidiſſe animo ſuo exiſtimem. Quas
tanquam nihil curent tanti incendij
flammas, aſtantes ij aſpiciunt ani-
mis ſecuris, quos patriæ ſaltem cari-
tas ad ſuccurrendum incitare, & a-
uertendum vltimum exitium com-
mouere debebat. Quid? quod qui-
dam etiam vel corrupti pecunia, vel
alijs promiſſis allecti adiutores cladi-
um communium eſſe depræhendun-
tur. Hæc quo euaſura eſſe metuen-
dum ſit, animaduertunt atque per-

ſpiciunt ij, qui hiſtorias legentes ſimilium rerum qui euentus fuerint, attendunt, & cum illis has conferũt. Quorum de exitu diuinatio eſt certior, quam vllorum vaticinationes ſunt, quæ tam de ſiderum motu atq; congreſſu, quam oſtentorum ſignis crebræ eduntur. In quo ſane eſt triſte ac dolendum, quod perpauci, ſi omnino tamen aliqui, vel diuinis ſignificationibus, vel humanis prædictionibus, ſic afficiuntur, vt laboranti & interituræ patriæ, niſi auxilium feratur, ſubueniri reſpectu ſuo ſtudeant. Sed neſcio quo pacto oratio eo relabitur vnde abſtracta eſt, ad querelas nimirum & deplorationem infelicitatis noſtræ, quod modo agendum non eſſe paulo ante dixi. finem igitur facio. Et quod reſtat: Deum æternum imploro precibus meis, vt tuã generoſam & inclitam clæmentiam, ſua miſericorde manu, in his max. illique propinquis periculis, benigne protegat tueaturq; & conſeruet,

ſeruet,cum omnibus ipſum caſte venerantibus & pie religioſeq; colentibus vbicunque locorum & gentium. Tua generoſa clæmentia bene valeat. Vale Lipſ. D. V. M. Martij, Anno Chriſti M. D. LXXIII.

PSALMI VII.
QVI POENITENTIAE TITVLO CELEBRANTVR, tranſlati in verſus Latinos genere Iambicos, numeris trimetros.

I.
PSALMVS SEXTVS.

1 DEvs furoris in tui
Ne me coargue impetu,
Nec æſtuantis vi tuæ
Iræ graui me corripe.

2 Ah parce quæſo debili
Corpuſculoq; languido,
Sana oſſa noſtra præ graui
Rigore fracta quæ tremunt.

3 Mœrore mortis mens mea
Turbatur anceps, at tuam
Quando feres opem Deus?

4 Flectant preces te ſupplices
Deus: feraq; me eripe
E morte: meq; pro tua
Serua Deus clementia.

Inter

5 Inter profundos haud erit
Maneis, tui qui ſit memor:
At in ſepulchro quis tuæ
Laudis canet præconia?

6 Feſſus gemendo ſum miſer,
Et abluo ſudoribus,
Lectum fluentibus meum:
Vberrimiſq; lacrimis,
Stratum rigo triſtis meum.

7 Mœrore ſaucius graui
Vultus perhorruit meus,
Seneſco cinctus vndique
Tot hoſtium phalangibus.

8 Procul hinc procul diſcedite,
Quicunque patratis ſcelus:
Fletus vocem Deus mei
Audit videtq; lacrimas.

9 Votis benignus annuit
Noſtris Deus: nec ſupplicis
Precationem reppulit.

10 Pudore ſuffuſi in fugam
Agantur hoſtes illico:

Probris operti ingentibus,
Verſoq; cedant agmine.

II.

PSALMVS XXXII.

1 Foelix, cui peccata ſunt
Remiſſa: tecta & crimina.

2 Beatus ille, cui Deus
Iniquitatem haud imputat:
Menti nec eius fraus ineſt,
Simulata ſiue fictio.

3 Reuoluo mente dum ſcelus
Tota & meum meditor die:
Fletu, rugitu præ graui,
Cuncta oſſa tabeſcunt mea.

4 Nocte ac die grauis tua
Manus premebat anxium:
Tum ſúccus aruit meus,
Aeſtatis igneæ (vt ſolent)
Flagrantis atque Sirij
Ardere cuncta tempore.
Sela.
Ô vera verba & dulcia

Reco-

Recolenda, noctéq; & die.

5 Mentem ſic excitans meam
Fatebor inquam, libere
Me aduerſus ipſum proferam,
Iniquitatem detegens
Quem nil latet, Deo meam.

6 Vt faſſus omne ſum tibi,
Haud crimen abſcondens meũ:
Iniquitatem nec meam
Abſcondere auſus ſordidam,
Mox indicanti protinus
Peccati inexpiabilis
Noxam remiſiſti reo. Sela.

7 Quapropter ardentiſſime
Hoc te pius precabitur,
Occaſionem idoneam
Nactus: furens ne ingentium
Moles aquarum concita,
Hunc naufragum forte obruat.

8 Tu aſylum es vnicum meum
Anguſtijs in omnibus,
Cuſtos protector ac meus:
Da liberatus vt tuas

Lætus canã laudes ouans. Sela.

9 Docebo tete ac inſtruam
Tutus queas quam carpere
Viam : vſque noſtra lumina
Te noſtra ducent ac regent.

10 Muloſq; equoſq; imitarier
Nolite brutos : qui carent
Rationeq; ac prudentia.

11 Quorum ora frenis aſperis
Conſtringere atque immitibus
Debes lupatis : efferi
Nolunt habenas dum pati.

12 Plagæ impios multæ manent,
At firmiter qui fidere
Nouit Deo , illum gratia
Coronat atque amplectitur.

13 Gaudete læti & alacres
Sancti : Deus fideliter
Nam vos tuetur ac regit :
Huic geſtientes plaudite
Qui candido eſtis pectore.

1 Ne me graui Deus tui
Furoris argue impetu,
Pœnas nec à me debitas
Iræ ſecundum feruidæ
Pondus rogo exigas tuæ.

2 Nam tela in imis oſſibus
Hærent tenaciter tua,
Potenſq; dextra me tua,
Conuulnerauit acriter.

3 Haud ſanitas in corpore
Noſtro, nec oſſibus quies
Pax aut medullis vlla ineſt:
Recolo ſcelus quotiens meum.

4 Sic obruunt me crimina
Vt verticem excedant meum:
Moleſq; peccati mei
Ceu ſarcina ingẽs me opprimit.

5 Et putruerunt vlcera,
Sanieq; ſpurca diffluunt,
Vanam meam ob dementiam.

6 Contractus, incuruus, miſer,
Atra-

Atratus incedo, ac dolens
Mœrore plenus anxio.

7 Dum molle lancinat ſemur,
Acre vlcus atque tabidum:
Salubritas nec in meo
Vlla inuenitur corpore.

8 Proſtrata virtus eſt mea
Soluta compages quoq;:
Renumq; cordis ac mei
Virtus areſcit humida,
Fremens leo ceu rugio.

9 Meum omne deſiderium
Ac vota pernoſti Deus,
Nec mœſta te latent mea
Minuta vel ſuſpiria.

10 Mœrore præ multiplici
Atq; anxio cor palpitat:
Ac deſtitutus robore
Sum viuido: mea lumina
Obducta ſunt caligine.

11 Socijq; amiciq; eminus
Hiante plaga territi

Stetere: proximi mei
Fugere me viſo procul.

12 At machinantur qui necem
Mihi, me parantes perdere:
Tendunt plagas ac retia,
Miſerum quibus me irretiant:
Atrocia ac mendacia,
Ac dira contra me euomunt:
Prauoſq; concinnant dolos
Omni ſceleſti tempore.

13 Aſt ego velut ſurdus minas
Non audiebam turgidas:
Ceu mutus os clauſi meum.

14 Ceu ſurdus auditu carens:
Qui non queat refellere
Obiecta falſo crimina.

15 Opem tuam expecto Deus,
Votis meis reſpondeat
Benignitas precor tua.

16 Permitte nunquàm cladibus
Inſultet hoſtis vt meis:
Ne ſi vacillet pes meus

Criſtas hic erigat ſuas.

17 Tolerãda natus ſum ad mala
Nullo dolor me ſæuiens
Relinquit ægrum tempore.

18 Scelus meum namq; indico
Culpamq; deprecor meam
Supplex miſerq; & anxius.

19 Viuunt at hoſtes &valenr,
Validis & aucti viribus,
Innoxium crudeliter
Sæui truceſq; me petunt.

20 Licet hijs ego benefecerim
Pius : malum reddunt mihi:
Ac perſequuntur acriter,
Pacem quod innocens colam.

21 Ne me relinquas ô Deus,
A me procul ne abſceſſeris,
Succurre confeſtim ô Deus
Salutis auctor ô meæ.

IIII.

PSALMVS LI.

1 O FONS perennis gratiæ
Miſerere ſupplicis Deus,
Pro ſingulari & maxima
Clementia precor tua.

2 Iuxtaq; multitudinem
Bonitatis immenſæ tuæ
Aufer ſcelus delens meum.

3 Terq; & quater me crimine
Ab hoc graui quæſo ablue:
Peccata noſtraq; omnia
Expunge, purga ingentia.

4 Agnoſco crimen en meum
Deflens atrox quam humillime,
Semperq; imago criminis
Verſatur ante oculos meos.

5 Soli tibi peccauimus
Patrauimuſq; ingens ſcelus:
Tu iuſtus in ſermonibus
Cunctiſq; deprehenderis
In actibus: ſi iure quis
Tecum velit contendere,
Damnatus ac victus cadat.

Con-

6 Concepit ecce in ſordibus
Me criminum mater mea:
Culpæque auitæ me reum
Enixa morti obnoxium eſt
Mundumque in iſtum protulit.

7 En veritatis vnicus
Amator es, quæ cordium
Receſſu in intimo latet:
Abſtruſa tu prudentiæ
Scientiæ ſecretaq;
Tuæ reuelaſti mihi.

8 Hyſſopo amaro me expia
Tunc mundus innocenſq; ero,
Scelus meum ſi laueris
Candore vincam vel niues.

9 Aures repleto gaudio,
Nouaq; læticia meas:
Tunc oſſa ſubſilient mea,
Quaſſata quæ ſunt acriter.

10 Auerte vultum mi Deus
A crimine ô Deus meo,
Peccata deleq; omnia.

11 Cor obſecro crea Deus

Mundum meum atq; lucidum:
Infunde in ima viſcera,
Firmum piumq; ſpiritum
Qui moriger ſiet tibi.

12 Vultu ſereno deprecor
Ne me repellas à tuo:
Sanctum tuumq; ſpiritum
A me rogo nunquam auferas.

13 Et gaudium mî priſtinum
Ac ſpem ſalutis reddito:
Promto ac parato ſpiritu
Me protege ac corrobora.

14 Legis vias pandam tuæ
Docebo iniquos ac ſacræ,
Vt pœnitentes dehinc tuis
Obtemperent ſermonibus.

15 A cæde me abſoluas Deus,
Deus ſalus mea vnica.
Pæana lingua quo tibi
Lætum canat mea iugiter.

16 Tu labra ſoluito mea
Vt ora noſtra laudibus

Tuis canora perſonent
Grates agantq; debitas.

17 Pingues iuuant te haud victi-
Has obtuliſſem, non tamē (mæ,
Holocauſta cordi ſunt tibi.

18 Accepta grataq; hoſtia
Deo anxia eſt mens pœnitens,
Mœrenſq; cor nullo Deus
Deſpexit vnquam tempore.

19 Fauore pro ſolito Deus,
Zion tuo complectere:
Vrbis tuæq; conſtrue
Muros ſacræ Ieruſalem.

20 Sanctæ placebunt hoſtiæ
Tuis refertæ laudibus:
Tunc rite delectaberis,
Oblationibus pijs,
Holocauſta tunc præpinguia
Altaria imbuent ſacra,
Vituliq; laſciui tua.

V.

PSALMVS CII.

1 Avdi benigne flebiles
Preces Deus, quas fundimus,
Admitte clamantis vocem
Haurito & auribus meam.

2 Abſconde neu vultum tuum,
Lugubri in iſto ſæculo
Anguſtiæ quando vndiq;
Cingunt, premunt, àc obruunt:
Aures apertas exhibe,
Quoties opem imploro tuam,
Succurre quæſo protinus.

3 Nam vita deficit mea
Ceu fumus euaneſcere
Liquidum ſolet per aëra:
Vt torris incenſus, mea
Sic oſſa prorſus æſtuant.

4 Ictu graui cor ſaucium,
Flacceſſit herba vt languida:
Ac debilis præ nauſea
Omnem cibum faſtidio.

5 Adhæret oſſibus cutis
Clamore præ gemitu ac meo.

6 Onocrotalo ſimilis fero

Deſer-

Deſerta mœſtus incolo,
Vt noctis ales putribus
Gemit in ruinis lucifer.

7 Noctem trahoq; peruigil,
Vt paſſer in tecti ſolet
Lugere ſolus culmine.

8 Probris acerbis me petunt
Hoſtes proterui & improbi:
Quin & ſceleſti per mea
Mala deierare non timent.

9 Cinerem velut panem voro:
Potumq; lacrimis meum
Permiſceo flagrantibus.

10 Iræ premor dum pondere
Grauis furoris ac tui:
Sublimius nam me euehis,
Quo ſit ruina vaſtior.

11 Vitæ dies fluxæ mei,
Vt vmbra tranſuolant leuis,
Herba vt virens quæ frigore eſt
Aduſta, langueo miſer.

12 Tu ſemper at manes Deus

Per cuncta regnans ſecula,
Honoſq; lausq; tempore,
Vllo interibunt haud tua.

13 Exurge clemens ac Zion
Vultu benigno reſpice:
Nam tempus inſtat vt tua
Hanc protegas clementia:
Nam tempus inquam nunc adeſt,
Cecinere vates quod pij.

14 Serui tui namq; expetunt
Ardenti deſiderio,
Vt ſaxa ruderibus modo
Purgentur atque ſordibus;
Lugent ruinas inclitæ
Vrbis tuæ hancq; diligunt,
Eius miſerti pulueris.

15 Populiſq; terrori omnibus
Sanctum Dei nomen ſiet:
Regeſq; terrarum arbitri
Omnes adorent gloriam
Numen Deiq; ſupplices.

16 Vt extruat rurſum Deus
Celſæ

Celſæ Zionis mœnia:
Immenſa maieſtas Dei
Appareatq; gentibus,
Manifeſte ſpectanda omnibus.

17 Orationem ſupplicum
Ac imbecillium Deus
Exaudijt: nec pauperum
Precationes reppulit.

18 Mandentur iſthæc literis
Monumenta certa poſteris,
Diuini amoris vt ſient:
Luſtris genus labentibus
Quod ſurget, æternas Deo vt
Laudes triumphales canat.

19 Proſpexit ex altiſſimo
Deus ſuo ſacrario,
Ex arce ſublimis poli
Perluſtrat orbis climata.

20 Vinctorũ vt audiret preces,
Gemituſq; lamentabiles
Atræ dicatos ſolueret
Morti, reoſq; abſolueret.

Vt in

21 Vt in Zion celebrent tuum
Nomen Deus ſanctiſſimum,
Raris ac ornent laudibus
Vrbe in tua Ieruſalem.

22 Populi frequentes confluent
Numeruſq; regum maximus,
Vt ſeruiant ſoli Deo,
Eumq; iugiter colant.

23 Vires humi Deus meas,
Proſtrauit ac vitæ breuis
Præcidit incertos dies.

24 Deus obſecro haud intercipe,
Medio me in æui termino.
Anni tui ſenio carent,
Florent per cuncta ſæcula.

25 Primordio rerum in nouo
Telluris orbem fertilis,
Stabilem creaſti tu Deus:
Inſigne opuſq; dexteræ
Cœli tuæ ſunt ignei.

26 Hæc vniuerſa tranſeunt,
Tu æternus atque idem manes,

Aeuo ſeneſcunt omnia,
Attrita veſtis vt ſolet,
Mutabis hæc ceu pallia.

27 Mutatur haud vnquam Deus:
Anni tui, Regnum tuum,
Aeterna ſunt, florent, vigent.

28 Ortiq; ſeruis è tuis,
Orbem frequentes incolent,
Horumq; poſteros Deus,
Beabis atque diriges.

VI.

PSALMVS CXXX.

1 MALORVM abyſſo è maxima
Ad te Deus clamo miſer.

2 Admitte ſupplicis preces,
Aureſq; attentas applica,
Querimoniæ Deus meæ.

3 Si noſtra tu vis crimina
Notare cenſor vt grauis
Iudexue iuſtus: quis poteſt
Vultu Deus coram tuo

Morta-

Mortalium ſubſiſtere?

4 Propenſus erga omnes fauor
Perſpecta cunctis gratia,
Nota ac tua eſt clementia:
Quapropter omnes inuocant,
Colunt,timent nomen tuum.

5 Expecto nunquam non opem
Tuam Deus certiſſimam:
Spes omnis in verbo tuo
Salus repoſtaq; eſt mea:
Mens noſtra te ſolum expetit.

6 Deo Iſrael credat ſuo,
Fauore numinis ſui
Nitatur: vt ſolet vigil
Optare laſſus fulgidum
Crepuſculi ortum roſidi.

7 Expectet inquam hunc Iſrael
Audacter: eius nam fauor
Immenſus & clementia,
Blanda atq; aperta eſt omnibus,
Peneſque eum redemtio
Eſt certa abundans ac ſalus.

8 Hic Iſrael populum ſuum
Preſſum graui ſcelerum iugo,
Redimet, reducet, eruet.

VII.

PSALMVS CXLIII.

1 Avdi Deus timidas preces
Orationemq; auribus
Hauri benignis, pro fide
Solita ac tua clementia:
Miſerumq; iuſticiam ob tuam
Audi, manumq; porrige.

2 Haud iure cum ſeruo tuo
Agas precor: mortalium
Vita caduca nam hac fruens,
Nemo innocens iuſtuſue erit,
Ante ora productus tua.

3 Vitam efferus proſternere
Geſtit, ſoloq; affligere
Hoſtis: cogens obſcura me
Et antra ſitu ſqualida,
Subire, nigra vt tartara.

Mœro-

4 Mœrore ſeſe conficit
Mens noſtra : corq; præ metu
Tremiſcit atque palpitat.

5 Memor retroacti temporis,
Reuoluo mente ſæpius
Acri, Deus tuæ inclita
Diuina geſta dexteræ.

6 Et acta mirāda (haud poteſt
Quæ nulla lingua promere)
Tua lætus vſque prædico.

7 Expando dexteram tibi,
Ad teq; anhelat mens mea,
Hiulca tellus ceu ſitit. Sela.

8 Succurre confeſtim Deus:
Tenuem attraho vix Spiritum,
Vultum nec auertas tuum
Serenum: vt haud cogar lacus
Triſtis ſubire tartari.

9 Tuæ fauorem gratiæ
Fac ſentiam, cum fulgida
Aurora cuncta ſplendido
Colluſtrat alma lumine:

Spes

Spes omnis ac ſalus mea,
In te recumbit firmiter:
Duc queſo recta me via
A qua ne aberrem longius,
Securus hanc ſed ambulem,
Mens noſtra votis omnibus
Præſentiam exoptat tuam.

10 Ab hoſtium me libera
Atrocium tyrannide,
Ad te ſacram velut anchoram
Me confero tutiſſimam:
Doce voluntatem tuam
Deus, rudemq; me inſtrue,
Mandata vt exequar tua,
Tu ſolus es Deus meus.

11 Sanctus tuus me Spiritus,
Per tramites rectiſſimos
Planoſq; deducat rogo,
Per nomen o Deus tuum,
Me ſerua, meq; recrea,
Periculis grauiſsimis
Ex omnibus me libera.

12 Hoſtes fauore pro tuo

Excinde funditus meos,
Fraudes ſtruunt vitæ meæ
Laqueoſq; nectunt qui mihi,
Queis me queant ſubuertere:
Tibi namq; ſeruio iugiter.

SEQVEN-

SEQVENTIA HABENT AVTOREM

Ioachimum Camerarium.

PSALMVS SECVNDVS IN VERSVS IAMBICOS Latinos conuerſus.

INſanientium quis iſte gentium
Fremitus, & hæc quæ vana cogitatio eſt
Populorum inania conſilia capientium
Et actiones improbas meditantium.
Hinc ecce reges, ecce ſtant hinc principes
Conſpirat omnis omnium & potentia
Contra Deum æternum, atque ab hoc vnctum ſacri
Olei inclito Regem vnicum liquamine.
Hæccine, ſuperbus ille cœtus, nos iuga
Feremus, inquit, alligati his vinculis?
Hoc abijci iugum, hæcq; rumpi vincula
Cordi atque curæ ſit, viri ſiquidem ſumus.
Sic loquitur, & nequam illa conſultat cohors.
At ille celi templa ſumma qui tenet,
Cuiuſque ſedes eſt in æthere Regia,
Deridet harum futilem flatum & leuem,
Eosque habet ludibrio, æternus Deus.
Ego ille vero rexq; princepsq; vnicus
Sum collocatus monte celſo in illius
Arcis Sioniæ fidelis arbiter,
Et præco eorum quæ ipſe mandat ac iubet.

Hic dixit ad me : Filius tute es meus,
Hodie ego te genui tuus verus pater.
Tibi poſtulanti gentium à me hæreditas
Tradetur omnium, ſub imperium tui,
Fines ad orbis vſque terrarum vltimos,
Quæ ſubditæ ſublime regni ſeruiant.
Has contumaces ac repugnantes tibi
Sceptro domando premes feroces ferreo,
Frangesq́; tam facile atque ſua vaſa figulus.
Nunc ergo terrarum domina, Reges, manus
Deſinite vecordes & eſſe ij, qui nihil
Intelligant, ſapiant, velintq; diſcere.
Doctrinæ animum adhibete ſaluificæ rudem,
Et filio præſtate obœdientiam.
Et huic eidem munus oſculi date :
Deum colite adorando toto pectore,
Veneratione nomini eius debita :
Simul celebrantes timore illud pio,
Simul verecundis canentes laudibus.
Ne iuſta veſtris incitata auſis malis
Ardeſcat ira, voſq; corripiat Dei,
Detrudat & recta ſalutis de via,
Malamq; inopinantibus mortem offerat.
Incendij ſed flamma mox huius tamen
Furenter irati emicabit cum Dei,
Animum pij, fretiq; miſericordiæ
Habete miſericordis illius, bonum,
Seruate in huncq; veſtram confidentiam.
Felicitatis iſta ſumma eſt omnium,

Optan-

Optandus & vitæ beatæ terminus.

PSALMVS V. TRANSLATVS
in verſus Latinos Hexametros dactylicos.

O Deus æterne, ô Deus, ô Deus, ô Domine et Rex,
Audi quæſo preceſq; meas fletuq; mouere
Qui manante genas humectat flumine largus,
Ad te perueniat lacrimoſæ oratio vocis,
Lamentiq; tuas aſcendat clamor ad aures
Perceptus miſerante afflicti opprobria mente.
Neminem ego niſi te ſolum implorabo laborans,
Et ſolius opem poſcam, ſolum mea te ſpes
Spectat, te coram ſolo fiunt mea vota.
Te venerans prius atque dies illuxit, adoro.
Fac mea vt admiſſis ſint pectora læta querelis,
Auxilijq; tui ſit mox mihi copia præſto.
Non iniuſticia eſt cordi tibi, non placet vllum
Fraudis opus, non vis ſceleratæ perfida dextræ.
Non dolus ante malæ conſiſtet te improbitatis,
Iratiq; feret conſpectum luminis ignem.
Artifices ſcelerum odiſti mendaciaq; ora,
Pernicies ſua commeritis quibus imminet abs te.
Vltorem te cæde manus polluta nefanda,
Inſontisq; dolo profuſus ſanguis habebit.
Aſt ego, magne Deus, tua viſam templa frequentās,
Teq; colam nomenq; tuum reuerente timore,
Et fretus bonitate tua & clemente fauore.
Iuſte Deus tu dirige iter dux, ingrediendum eſt
Quod mihi tam ſæui inſidijs circundato ab hoſtis:

Suſcitet iſtorumque tuam veſania curam:
Quorum lingua nihil memorat verumq; bonumq;,
Pectoris eſtque omnis fallax meditatio vani:
Guttura aperta patent ceu fœdi buſta ſepulcri.
Quicquid agũt dolus eſt, dolus eſt quæcũq; loquũtur.
Iudicis hos tua lata, Deus, ſententia damnet.
Deficiant conſulta malos male, tuque repelle
Conatus diræ fractos turbæ violentos.
Impietas quoniam eſt horum intolerabilis, aucta
Multiplici iam culpa, omnisque experte pudoris.
At tibi conſtanter fidentia corda piorum
Gaudia percipient, exultandoque fruentur
Perpetuo lætæ felici munere vitæ,
Tuque in eis habitare voles, qui teque tuumque.
Nomen amando colunt, cuius tu gloria ſolus
Es gregis, hoſq; benigna tegit tua dextera obumbrãs
Iuſtos atque probos. Hos tu defendis, & omni
Eripis eque malo propulſanſque vndique clades
Ceu clipei obiecto præſtas munimine tutos,
Circum propitioſque hos dando fauore tueris,
Liberi vt à cunctis ſint ſemper vbique periclis.

PSALMVS VI. TRANSLAtus in Anapæſtos Latinos.

AEterne Deus, Deus omnipotens
Rex maxime, & idem Pater optime,
Celeſtia qui regna gubernas,
Et vbique in terris cuncta vides:
Ne me commota iracundia

Infeſta menteque corripias,
In peccata inque meos lapſus
Iudicio inquirendo ſeuero.
Miſerere mei, ô miſerere mei,
Corpus cuius & animum morbi
Affligunt ſæuitia ingente.
Omnia trepidant oſſa mea in me,
Et membrorum vincla fatiſcunt,
Et valde animus perturbatus eſt,
Copiaque datur nulla quietis.
Tu vero Domine ô Deus, vſquequo
Quo, Deus, vſque tua miſero mihi
Subtrahere opis auxilium perges?
Quare me patiere diu allidi?
Oculos, ad me reſpice tandem,
Vertendo tuos propitios Deus,
Et miſerere mei obſecro miſeri,
Vitamque ſalutemque tuere
Propria bonitatis cauſſa, meam,
Seruans me ſaluum incolumemque.
Haud in mortis tenebris qui iacent,
Meminere tui lumine caſſi,
Haud te quos Orci iam fauces
Abſorbſere celebrant, nomen
Decantando tuum leto obruti.
Heu mihi, quem gemitus meus affert,
Auctum ingente dolore laborem.
Heu mihi, fletu lectulus ůdus eſt,
Et lacrimis mea ſtrata rigantur,

Neque nocti requies conceditur.
Facies eſt mea conturbata,
Præque tuæ, vultus deformis,
Iræ me exagitante furore,
Non eſt ſpecies quæ fuit antea,
Hoſtibus & circundatus vndique
Iam ſenium præ me triſte fero.
Fugite hinc abeundo, diſcedite
Operati quotquot ſcelere eſtis
Impuri, iniuſti, ſæui, impij:
Clæmens ploratus Dominus mei
Audiuit vocem, idem preces
Pectoris admiſitq; fidelis.
Pudeat vos quicunque inimicam
Erga me geritis mentem, improbi,
Quorum odium me capitale petit,
Conceptarum pudeat fraudum
Perpetratorumq; malorum.
Veſtræ diſiectæ ſunt machinæ,
Molitio veſtra omnis inanis,
Cuncti vani ſunt conatus,
Interitus vobis impendet,
Exitium veſtrum ante fores eſt,
Pœnæ & crudeles accelerant,
Et vos deletura dies adeſt,
Iuſto æterni iudicio Dei,
Et tempus vindicis horæ.

Pſalmus

PSALMVS X. EXPOSITVS
verſib. Latinis, eius generis quod vocant
dicolon diſtrophon.

FRetus ego æterno ſolo Dominoq; Deoq;
Hoc collocatas habeo in vno ſpes meas:
Et mihi perfugium veſtras oſtenditis arces?
Tutus ſit vbi tanquam auiculæ nidus mihi.
Non fugit hoc neq; me: Quod iampridē impia turba
Infeſta eis, quorum cor eſt rectum & probum,
Lunatos arcus teneant, captasq; ſagittas
Supra reductam, mox vt emittant, fidem,
Confixuri iuſticiamq; fidemq; colentes,
Sanctaq; verum religionis ordinem,
Dum nihil hi metuunt ſecuro pectore fraudum,
Suoq; confidunt ſibi innocentia:
Seditioſa cohors tamen illa hæc cum labefactet
Fundatum & extructum Dei præclarum opus.
Quod vero eſt facinusq; malū, & quæ culpa piorū?
Quos grex ſuperbus ille ridens deſpicit.
At Deus æternus, Dominus celiq; poliq;,
Sublime templum cuius eſt ſolium ætheris,
Omnia, quod fallit rerum nil, lumine cernit,
Obſeruat & ſimul bonos, ſimul malos.
Sed ſpectans hos obſeruat diſcrimine magno,
Eiuſdem & haud animi modi eſt aduerſio.
Quippe bonos miſeros & preſſos ſubleuat ille,
Clæmentiaq; pauperem tegit ſua.
Patrantem ſcelerum male ſed facta impietatem,
Infenſa quæ ſibi omnium ipſa maxime eſt:
Tota mente odit, neque eam ſinit impunitam,

In promtu & erga illam huius iræ eſt vltio.
Ecce tonat celum, ſæuæ increpuere procellæ,
Nubeſque fulgurum coruſcant ignibus.
Et crebrũ horribili in terras cadit impete fulmen.
Incendioque ſulfuris fumat ſolum,
Impie & hæc violente petunt te tela, minantur
Hæc execrandæ mortis exitium tibi.
Vindicis iſta Dei tibi pocula dextra propinat,
Hæc ebibenda tota tibi fex eſt mali.
Nam iuſtus Deus eſt, Deus eſt æquuſque bonuſque,
Et iuſta & æqua & intuens gaudet bona.

PSALMVS XLII.

SIc vbi venantum ceruus grege preſſus anhelat,
Mergitur oblatis immoriturus aquis.
Nec mihi ſpes rerum nec ſpes ſuper vlla ſalutis,
O mea vita tuos occidat ante pedes:
Ante pedes æterne tuos Deus. Hæc mea vota,
Iſte ſitibundi pectoris ardor erat:
In te procubuiſſe Deus me corpore toto,
Inque tuo tectum delituiſſe ſinu.
Si niſi quæ per tot degatur vita pericla,
Nulla futura mea eſt, nulla ſit illa licet.
Omnibus infelix regionibus exul oberro,
Tuta nec eſt vllo iam mea vita loco,
Quando tuum dabitur tamen ô mihi cernere vultũ,
Siſtere & ô faciem me Deus ante tuam?
Omnipotens æterne Deus, fons vnice vitæ:
Quando erit vt ſtratum reſpiciendo leues?

Pro potu atque cibo lacrimæ ſine fine fluentes,
Iampridem eſſe mihi nocte dieque ſolent:
Dum lugubre mihi, tua ſit deſertio, probrum,
Et tuus eſt clamat, nunc Deus, hoſtis vbi?
His anima auditis in me mea tota liqueſcit,
Defluit & robur pectoris omne mei.
Et deſiderio tabeſcunt triſtia corda,
Sacrifici ritus, paciferaque domus:
Inter quo popularem accedere geſtio cœtum.
Me miſerum, hæc fiet copia quando mihi?
Quādo tuas celebrantis ego ipſe, Deus quoq; laudes
Pars quota lætifico carmine plebis ero?
Inq; meis citharam manibus plectrumque tenebo,
Clariſono ſanctum nomen & ore canam?
Cum ducente choros procedens agmine feſtos,
Atque augens hilaris læticiam populi.
Cur anime vſque adeo grauibus conſumere curis,
Et premeris tantis ſollicitudinibus?
Nec mihi concedis, Mens perturbata quietem,
Perpetuo cur ſunt anxia corda metu?
Et confide anime, & ne ſis mens túrbida, neue
Mœſta infinito corda pauore tremant.
Expectanda Dei eſt defenſio: ſique videtur
Forte mora inferri ſpes retinenda tamen.
Tempus erit, quod non ſpero procul abſore, grates
Quando tibi ærumnis vndique liber agam:
O Deus, ad me oculis quo reſpiciente benignis,
Stat ratis in portu noſtra ſalutifero.
Incipit auxilium & præſens ſentire iuuantis

Freta

Freta Dei audita nunc mea voce, Fides.
O Deus ô Deus immenſa eſt clementia, cuius:
Quam nulla eſt animi pax requieſque mei?
Tu mihi in aduerſis es conſolatio ſola,
Aeger & abs te vno pendeo totus ego:
Hic verſans vbi Iordanis liquidus fluit amnis,
Hermonij propter Mizarijq́ȝ iuga:
Deſertisqȝ locis mea degitur, eſt & in vno
Vita recordando Nomine læta tuo.
Ecce tuæ fluctus vrgentqȝ cientqȝ procellæ,
Eqȝ profundo vnum deſuper alter agit:
Et fremitu horribili montes voluuntur aquarum,
Et rapida infelix obruit vnda caput:
Attamen exoriente die & mox luce reuerſa,
Quam mihi largiris proſperitate fruar,
De bonitate tua gaudens. Neque non tamen horror
Noctis vbi obſcurat nube frequente polum,
Dumqȝ dolori feræ cingor caligine ſortis,
Carminibus pariter te celebrabo meis.
Effundamqȝ preces coram Dominoqȝ Deoque,
In cuius dextra vita potente, mea eſt.
Nunc mea te appellans lacrimoſa oratio, Rupem,
Siue quid hac aliud firmius eſſe poteſt:
Heu mihi num penitus, dicet, te obliuio cepit,
Nec reliqua vlla mei ſollicitudo tua eſt?
Cur humilis, triſti facieqȝ incedere cogor
Ante hoſtis mœrens ora ſuperba mei?
Cur inſultantis conuicia ferre neceſſe eſt,
Quæq́ȝ mala illius dat violenta manus?

Morti-

Mortifer iſte meis infigitur oſsibus enſis
Probrorum quæ in me lingua inimica iacit,
Plaga dies grauior totos audire, ſed hæc eſt:
Quid nunc? Ille Deus quem venerâris vbi eſt?
Quippe iaces, neq; vult te proſtratum ille leuare,
Quamq; petis ſupplex ferre recuſat opem.
Si tamen eſt aliquis, ſicut memorare ſolebas,
Viribus hic præſtans & bonitate Deus.
Hæc iugulatrices impingunt dicta ſecures,
Dura magis mihi ſunt talia verba nece.
Eia anime angorem in tantum prolapſe reſurgas,
Tuq; mea haud dubites Mens trepidare minus.
Et poſita ceſſent formidine corda pauere,
Sit metui & nullus mœſticiæque locus.
Opperienda Dei eſt ſuccurſio. Non procul illud,
Tempus abeſt, grates cum recreatus agam
Magne tibi & clemens, diſcrimine tutus ab omni,
Securusq; tuo, ſancte, fauore, Deus.
Tunc dabitur coram te cernere mente fideli,
Verbaque ſaluifici percipere aure, ſoni.
Tunc manifeſta tuæ fiet protectio dextræ,
Conſtabitque meum te, Deus, eſſe Deum.

CONSOLATIO PIORVM REB. aduerſis ac difficilibus Pſalmi XLV. translati in Latinos verſus.

QVanta tamē rurſum nos ſtare pericula circū
Incipiunt? qualis metus & formido fatigat?
Qui finis damnorum oſtenditur? aut vbi clades

Deſinet innumerabilium cumulata malorum?
Quæ ſpes & q̃ perfugiũ miſeros manet? An ſunt
In deſperatus nunc omnia perdita rebus?
Nequaquam eſt ita. Tu Deus æternus, Deus idem
Optimus atque idẽ quoque maximus, & potes et vis
Oppreſſos releuare, iacenteſque erigere, eque
Iam dubiæ eripere extremo diſcrimine vitæ,
Et recreare animi proſtrati debile robur,
Crudeliſque minas ſæuas auertere peſtis.
Hanc ob rem timor omnis abeſt, & numine conſtat
Noſtra tuo firmi nitens fiducia cordis.
Quamuis terra tremat, quamuis decuſſa ferantur
In pelagus iuga veliferum de montibus altis,
Et metuendarum fluctu elidantur aquarum,
Conuulſique ſoli motu fundamina nutent:
Quam tamen ipſe ſuam ſibi ſacrauit Deus vrbem,
Semper vbi ciues teneant habitacula ſancti,
Lætifici ſcateantque perennia flumina fontis,
Non vis euertet non obruet impetus vllus.
Hanc ſibi in excelſo regnans elegit Olympo,
Hic Deus ipſe habitat, ſuaque hic tentoria fixit,
Hic colitur vero diuinum numen honore
Puraque celeſti fulgent altaria flamma,
Inque adyto ſuaues ſecreto adolentur odores.
Firma igitur conſiſtet & illabefacta manebit
Adiutore Deo defenſa & tuta potente.
Nullæque diuinæ vis mœnia diruet vrbis,
Qui mane accelerans præſto eſt arcetq; pericla.
Propulſatque manu inuadentem vindice peſtem.

Audentes inferre ſuis hic vimque metumque
Et qui bella cient qui turbant ocia pacis,
Quique ſolum quatiunt ſumtis hoſtiliter armis?
Vt ſimul increpuit, ſimul illis corda pauore
Ignauo perculſa tremunt, ſimul euertuntur
Diuitijs opibusque vrbes & regna ſuperba
Voce Dei audita, trepidatque exterrita tellus,
Voce Dei noſtri quem quondam Iacobe colebas,
Quemque pij ſemper cuncti coluere coluntque,
Cuius vis æterna eſtque infinita poteſtas,
Hoc nos protectore Deo ſalui incolumeſque,
Securi hoc patrono erimus diſcriminis omnis,
Hoc duce & hoc noſtra eſt victoria rege futura.
Huc oculos omnes animos huc vertite veſtros,
Quiſquis es huc accede & contemplare potentis
Ingens regis opus noſtri Dominique Deique,
Robore & immenſo mirabilia edita facta.
Quo ceſſat prohibente nefanda inſania belli
Arceturque furor Martis franguntur & arma,
Inſtrumenta necis, gladij, arcus, miſſilia, haſtæ,
Et clipei accenſo curruſque cremantur in igne.
Menſq; manuſq; vacet, Deus inquit, vt eſſe Deum-
Natio, gens, regnum cognoſcens ſentiat omne, (me
Cuius erit magnum terrarum nomen in orbe
Et complebit honos, maieſtas, gloria mundum.
Iſte Deus, Deus eſt noſter, nos iſte tuetur,
Iſtius vndique nos tutos cuſtodia præſtat,
Aetheria &, quæ nos propugnent, caſtra locantur,
Quem coluit priſcus votis Iacobus adorans,

Quem

Quem nos ſacrificis precibus veneramur eundem,
Verum, vnũ, ſolum noſtrum Dominumq; Deumq;.

COMMENTATIO PSALMI
Dauidici xc.

Qvi diuine habitat munita opis æde receptus
Tutus in ætherij numinis auxilio,
Dicere fidentis certa ſpe pectoris audet
Compellando ſuum voce precante Deum:
Tu clipeus tu perfugium, tu murus & arx es,
Tu foſſa ac vallum præſidiumq; meum.
Vndique me circum laqueos & retia ponit
Mortiferas hoſtis qui ſtruit inſidias,
Quiq; extrema mihi mala perniciemq; minatur,
Terribilique truces incutit ore metus.
Sed fruſtra. Nam me te defendendo tuente,
Nec mihi vis nec fraus vlla nocere poteſt?
Implumeſque ſuis vt pullos protegit alis,
Pennigerum & præbet fida cubile parens:
Vndique ſic cingens tua me clementia munit
Inque vmbra placida dat requiete frui.
Ecce meum hinc atque hinc letali infecta veneno
In caput hoſtilis dextera tela iacit.
Ecce ſonant arcus intortaq; ſtridit arundo
Circum enſiſq; acies ferrea vbique micat.
Pone metus. Scutum illa Dei contra omnia firmum
Eſt, promiſſorum non violanda fides,
Exitiumque tibi nihil aut plagam inferet vllam,
Intactumque omni vulnere corpus erit:

Siue

Siue aliquis nocturno oriatur tempore terror,
Siue volet claro miſſa ſagitta Die,
Seu trepides cœcæ in tenebris formidine peſtis,
Seu media infeſti luce timore mali.
Atque tuo à latere occumbent iam mille ſiniſtro,
A dextro decies mille deinde cadent,
Te tantæ attingent ſed nulla pericula cladis,
Nec quicquam quod te lædere poſſit, erit.
Ante tuos oculos tamen impia turba peribit,
Te coram, & ſcelerum præmia digna feret.
Tu mea, magne Deus, ſpes & fiducia ſolus,
Copia tu vitæ es, tu mihi certa ſalus.
Perfugium ſummi tibi celi in ſede paraſti,
Incolit æternus quæ ſua templa Deus:
Hunc ſpectas, hoc fretus es, hoc inniteris vno:
Quam bene te dices conſuluiſſe tibi?
Triſtibus haud vllis ad te via aperta patebit,
Inque tua nulla eſt noxa futura domo.
Iuſſit enim ipſe ſuos te cuſtodire miniſtros,
Angelici nomen quod gregis agmen, habet.
Quacunq; ingrediare cohors circum excubat iſta,
Inque apud aſſidua te ſtatione manet.
Tu modo perge viam, qua te Deus ordinat ire,
Præſto eſt te ſtipans vndique turba vigil,
Atq; tuus ne pes offendat ad aſpera ſaxa,
Te leuat hæc palmas ſubijciendo ſuas.
Aſpida & illæſus gelidum incedes ſuper anguem
Et ſepem aut diram dipſada calce premes,
Confringeſque vngues ſæui denteſque leonis,

Et ſobolis rumpes terga draconigenæ.
Hæc tua vox, Deus, eſt, celeſtia pollicita hæc ſunt
Hoc verbum ſummi venit ab axe poli:
Confiſum bonitate mea, Deus inquit, ab omni
Liberum ego ſeruans eſſe iubebo, malo.
Nomen ei notumque meum, nomenque celebre eſt,
Hunc tutela meæ proteget ergo manus,
Ille meam implorauit opem prece ſupplice clamans,
Ipſius & votis auris aperta mea eſt.
Inque illi cunctis præſens angoribus aſſum,
Nec cruciari vllo corda dolore ſinam.
Huius & ærumnis erepti laude coronans
Ornabo titulis nomen honoriferis.
Grandæuum hunc numero multorum augebo dierũ
Vitæ & ei tribuam tempora longa bonæ.
Neue quid huic deſit, neu quid vetet eſſe beatum
Oſtendam æternæ proſperitatis opes,
Et veræ ſtabiliſque viam monſtrabo ſalutis,
Nemine qua liceat iam prohibente, frui.
Te voco te imploro, veneror, colo, adoro, celebro,
Tu ſolus Deus es rex Dominuſque meus,
Tu me protege conſerua, defende, tuere,
Perpetuo vt pariter ſim maneamque tuus.

CANTICVM PSALMI DAuidici c x x x. explicatum verſibus Latinis, pia meditatione.

O Devs, ô penes eſt rerũ quẽ ſumma poteſtas
Quemq; creatorem quem veneror q; patrem:
Aerum-

Aerumnis ſæui merſus velut æquoris vndis,
Ex imo querulas pectore fundo preces.
Supplice teque orans mea vox clamore fatigat,
O tua ſit votis auris aperta meis.
Non peccata ſinunt mea me, quibus aggrauor, ad te
Lumina præ nimio tollere recta metu.
Vnde niſi iratum clæmens auertere vultum,
Noſque velis oculis cernere propitijs:
Quis tamen eſt, coram qui te conſiſtere poſſit?
Iuſticiam fiat ſi reus ante tuam.
Vox tua ſumme mihi, Deus exaudita ſalutem
Attulit eloquij verbaque ſancta tui.
His animus meus inuoluens ſe totus inhæret,
Hæc mærorificum ſpes fugat vna metum.
Nil in me eſt quo nitatur mens acta procellis,
Alternans fidei dum ferit vnda ratem.
Gratia ſola tua & clæmentia ſuſtinet ægrum,
Et peſſum qui me non ſinit ire, fauor.
Hæc eſt Iſraele tui fiducia cordis
Vexatæ hæc ſola eſt ancora firma ratis
Iſraele, Dei fas eſt cui cernere vultum,
Luctandoque facit quem ſuperare fides.
Cum quo ſupplicibus nos ſpem coniungere votis,
Nec vano ſtudium eſt fundere ab ore preces.
Siue ſub exortum veniat cuſtodia ſolem
Seu vigiles noctis tempora ſera vocent.
Nam tua Rex celi terræque potentia quanta eſt,
Imperio cuius dextera cuncta premit:
Manſuetudo etiam, bonitas, clementia tanta eſt,

Orta polo replens, qua patet, illa, ſolum.
Hic Deus hic Deus eſt, cuius miſeros redimendo
Eque malis promta eſt, eripiendo manus.
Saluifica & fontis fluit ex hoc vnda perennis
Largaque purificæ copia manat aquæ.
Idem erit ille tuus Deus Iſraële redemtor,
Et feret in rebus triſtibus auxilium,
Peccati fœdas detergens vndique ſordes,
Mortali hæc generi eſt cauſſaque faxque mali,
Propitius maculas hic illius eluet omnes,
Et faciet ſit mens vt magis alba niue.
Hæc bona participat pietatis ſpeſque fideſque
Perpetuoque vigens integra præſtat amor.
Iſraeligenæ populi hæc eſt vera propago
Diuina & ſancto flamine nata tribus,
Omnipotente Deo ſata gens regni ipſius hæres,
In celi propria ſede quod ille tenet.
O pars huius ego qualis ſim cunque, meuſque
Semper hic eſſe velit rexque paterque, Deus
Ingenitus pater, & natus ſine temporis ortu,
Procedenſque ſimul ſpiritus inde ſacer
Cuius honorque decuſque & laus eſt ſolius omnis,
Et regni æterni gloria fine carens.

THRENI HIEREMIAE Prophetæ.

Poſtquā erat vrbs Solymæ flammis hoſtilibus arcis
Vaſtata, & Syria mœnia fracta manu,

Et

Et Iudæa ſolo migrabat tota paterno,
Longe in Chaldæa quæ foret exul humo,
Ciuis erat nuſquam, tantum ſpacioſa colonus.
Rarus, & è vulgo rura tenebat inops:
Tunc Anatotides ingenti corda dolore
Saucius, & lacrimis ora genasq; madens,
Hos, tanquam patriæ profudit nomine, queſtus,
Verbaq; mœrenti talia voce dedit.

LAMENTA PRIMA.

SIccine ciuibus illa referta,
Sic quondam incola & aucta frequente,
Illa beata vrbs, populoque potens.
Reges pede calcare ſueto,
Nunc in puluere ſubuerſa iacet,
Strata ſolum & mœnia planxerunt.
Ducta ſub altas mœnia nubes.
Quæq; ſolebat dominari ante
Gentibus, & victrix regiones
Externas ſeruitio premere,
Eheu ſpoliata viris, veluti
Viduo deſerta cubat lecto:
Quæq; inter cunctas caput alte
Suſtulerat lætum prius vrbes,
Nunc colla iugo ſubdit acerbo,
Dominiq; facit iuſſa ſuperbi,
Et patitur vincula dura.
VADIT, & ex oculis lacrimarum
Flumina manant nocte dieq;,

Neq; mœſtam ſolatur quisquam,
Noti omnes fugitant & amici,
Quin odio quoq; cuncti miſeram
Hanc, ludibrioque ſequuntur.
G R A V I T E R *diſcruciatus Iudas*
In miſerum transit ſeruitium,
Atque intra mœnia barbaricæ
Gentis nuſquam reperit requiem
Agmine circundatus infeſto,
Atque hoſtibus vndique clauſus.
D O L O R *& luctus vaſticieſque*
Diſiectus incubat in portis,
Et in vrbe vias occupat omnes
Regionum, virgo Sioni, tua,
Quod nemo ſolito ſe celebret
Cœtu, nullaque victima calcet
Nuſquam ritu rem ſolenni
Pontifices faciant diuinam.
Quodq; ſacerdos fleat, haud cantet,
Virginum amœnis quodque choreis
Omnis nunc careat concinno
Olim carmine læta platea.
Iaceant quod denſa vrbis miſeræ
Ipſa obruta mœnia ſtrage.
N V N C *vrbs nunc tua te fata premunt,*
Vnica quondam cura Dei. Nunc
Super hoſtis caput aſtitit, & te
Pondere ſortis grauat infenſo,
Aduerſus quam tibi, quamque fauens

Illi

Illi concedit Deus, à te
Alienus, tua plurima propter
Delicta & ſcelerum auſa nefanda,
Propter ſua numina deſerta.
Cuius nos affligimur ira.
Trahitur paruula captiua manus,
Quique trahunt flentes male tractant.
Et vbique anguſtia præit.
V B I *nunc tua forma Sioni, vbi nunc*
Species eſt tua prima decoris?
Vbi ſunt priſcæ laudis honores?
Vbi ſunt acti de hoſte triumphi?
Et princeps ſimul & bellator
Pubeſque tua olim inuicta armis
Sicut oues deerrauere vagæ
Placidæque ſequuntur demiſſo
Capite anteuntes victores
Manus ignaua, imbelle pecus.
C L A D I S *cruciatus ingentis*
Horrendos, & vulnera ſæui
Inflicta ſibi tanta doloris,
Reddit acerba magis ſibi Iudas,
Propria & læſis culpa fiunt
Grauiora hæc multo, quando ſubit
Veterum bona fortuna dierum.
Et quo de culmine ſint rerum
In quod lapſa malorum pelagus,
Quando cadebant hoſtili omnes
Ferro, neque erat quiſquam miſeris

 Auxi-

Auxiliatricem porrigeret
Qui diſcrimine dextram extremo.
Cum Religione dies ſacros
Antiqua, & tempus ſolenne
Rideret captis & victis
Inſultans hoſtis acerbus.
CAVSSA *malorum tibi tantorum*
Tam diri cauſſa tibi fati,
O popule vrbis ciuis Solymæ,
Tua ſunt delicta, tuum ſcelus eſt,
Tua te fraus impia deſtruxit.
Tua te peccata euerterunt.
Tua flagitia interfecerunt.
Quis te non olim ſuſpiciens
Magnificis laudibus euexit?
Quis te non iam deſpiciens, heu
Probri plenam, turpem, infamem,
Deformem, laceratam, ſpernit?
Tunc illa potens natio quondam,
Fortiſque & Regum iugulatrix,
Oculos demiſit & auertit
Vultum, confuſa pudore
AD CALCEM *uſque à vertice, virgo*
Sordibus heu quam formoſa olim?
Tota ſcatet nunc eſtque referta,
Neque ſpes reliqua eſt munditiæ vlla.
Hæc ante pedes interque manus
Mala cum verſarentur tanta,
Illa calamitatem non tamen hanc

Præ-

Præuidit, neque cæco aduertit
Animo finem tam infelicem.
Itaque horribilem fecit miſera,
Miſera & deploranda ruinam.
Neque mœſtam aliquis conſolatur.
Sed & inſuper huic ludibrio inſtat
Seque alte aduerſum erigit hoſtis.
Hunc ſaltem, ô pater æterne Deus,
Auerſare furorem, & tale
Patientis probrum miſerere,
Et reſpice tandem afflictam.
I N I E C I T *barbara turba manum*
Corripiens quicquid precioſum,
Quicquid ſpectandum, quicquid erat
Iſraëlide pulcrum gaſſa,
Et Solymæis conditum in arcis.
Quinetiam heu ſcelus impietatis,
Heu facinus dirum immane nefas,
Oculis aſpexit barbara gens,
Oculis impuris aſpexit
Natio, dira, cruenta, immanis,
Tua ſancti penetralia templi.
Introque tulit limina vetitos
Auguſta pedes. Non ius, non fas,
Non prodita celeſti voce
Edicta reformidans tua.
C I R C V M *modo curſat plebs omnis*
Lacrimiſque preces humiles miſcet,
Quæritque ſuæ leue ſubſidium,

 Vitæ

Vitæ euaneſcentis, fruſtum
Squalentis panis vile, famis
Quo pellat lætiferam peſtem.
Ac ſi quis habet quicquam etiam nunc
Precioſum aut carum, id depromit,
Impenditque cibo, ærumnoſam
Vt lucem amplius intueatur,
Producatque ætatem vlterius,
Animamque refocillet laſſam.
O Deus, ô qui cuncta tueris,
Reſpice ad hæc, reſpice quod circum
Quam fœdæ dedecorum facies
Me ſtent, atque premant miſeram.
HAC *quoque quiſquis iter forte facis,*
Huc flecte oculos, me contemplans,
Atque ita quicquid vidiſti vnquam
Cruciatus, tormenti, cladis
Cum noſtris deinde malis confer,
Nullum repperies huic certe
Inter ſimilem cuncta dolori.
Sic me, mihi ſic Deus iratus
Concidit, decus vndique priſcum
Falce metens truncante furoris.
Quod prædixit Eheu prædixit
Indignabundusque peragit
Succenſens ſceleri accumulato,
Neque eum clementia flexit.
IMMISSVS *depaſcitur ignis*
Cœlitus artus, oſſa perurens

Aeſtuat

Aeſtuat imis flamma medullis.
Ita ſunt horribilia tormenta
Mea, ſic atroces cruciatus.
Vitare fuga interitum pauida
Si poſſem, & cœperam anhela anima,
Patulos iamque tenebam campos,
Cum circum indagine ſepti omnes
Aditus & laquei diſpoſiti
Euadere eo prohibent miſeram,
Figerem vbi greſſus in tuto,
Ac ſubito pes captus inhæſit,
Actaque concidi ego mox retro
Iacuique ita deſerta & ſola,
Opis expers auxilijque omnis
Mea ſaucia vulnera plangens.
E H E V *non cœpit ſopor illum*
Quo minus ad mea delicta ſuos
Verteret oculos, illaque cernens
Iuſtæ infligeret iræ pœnas.
Nunc duris conſtricta catenis,
Vinctaque ferro colla grauantur,
Defecere meæ omnes vires.
Ita ſum præcipitata, vt nunquam
Sit ſpes me ſurgere poſſe.
O D O L O R *immenſus, dolor ingens,*
Omnes magni cecidere viri,
Rex, Iudex, Præfectus, Ductor,
Extinctum populi omne eſt robur,
Truncumque reciſo capite trahunt.

Inter-

Interfectores deformem.
Hoc illud erat tempus, quo me
Meritum ad ſupplicium ira vocaret
Numinis offenſi tam crebro.
Prœlum heu quam graue teneræ hoc natæ
Et quam delicioſe eductæ
Intortum eſt, quantum incumbit onus
Quaſſatæ obtritæque Solymidi?
O ſoboles illuſtris Iudæ
Quantorum miſeranda malorum,
Obruta qua mole laboras?
S E D *nunc quid agam, quid agam ergo? niſi*
Vt fonte perenni lacrimarum
Laceras humectem afflicta genas,
Nullum & quæſtus ſtatuam finem?
Quis enim accedit qui ſoletur
Tanto percita corda dolore?
Quin omnes retro abſiſtentes
Cedunt, & me numinis ira
Fugitant ceu fulmine percuſſam.
At mea pubes cætera rerum
Spes, generiſque futuri columen,
Heu mihi, iacet extincta, peremta,
Perdita, capta, hoſtilis præda.
Et queſtus finiet vlla meos,
Fletuſue dies deſiccatis
Lacrimis, vnquam ſedabit?
T E N D I T *mœſta Sionis palmas,*
Auxiliumque petens, quærit opem,

Sed ſurdis auribus illa canit,
Nec quiſquam ſolatur miſeram.
Hoſtis adeſt, vndique adeſt hoſtis,
Signum dat belli Deus ipſe.
Sedet in medio nuda Sionis,
Sine re, ſine fama, ſine laude,
Deformis, viſu ſpurca, velut
Decolor atque immunda, ſuoque
Mulier polluta cruore.
MEA *culpa mihi eſt cauſſa malorum,*
Iuſtiſſima vindicta tua Deus.
Quoties inter enim iſta minatus
Cuncta tuo ore mihi ipſe fuiſti?
Ni legibus atque tuis iuſſis
Parerem. Sed perfida & audax,
Contemtrixque tuæ mens legis,
Commouit numinis immitem
Propitij olim, vindicis iram.
Vos tamen ô quicunque vbicunque
Eſtis, mortalis turba hominum,
Fando ne audijſtis tam triſtes
Euentus vnquam, aut vidiſtis
Caſus tam atroces? ſimul omnem
Sexus vtriuſque amiſi æuo
Cœtum florentem, quos pecudum
Inſtar præcedentes hoſtis
Captos crudelis abegit.
IMPLORABATUR *amicorum*
A me voce meorum trepida

Auxili-

Auxilium. Sed me illa feſellit
Spes fruſtra animo concepta, ſibi
Fidei vanam fingens ſpeciem.
O dolor ingens, cana ſenectus,
Sancta Dei & turba ſacerdotes
Animas exalant, cum ægra diu
Corpora traxiſſent, tantillum
Sibi nutrimenti quærentes,
Quantum tetra deficienti
Et paſsim omnes ſternente fame
Sat vitæ eſſet recreandæ.
AH CONVERTE *benigna tua ad me*
Lumina ſummi rector Olympi.
Dura profecto mea eſt fortuna.
Angor, & intus viſcera triſtis
Deſperatio, formido, dolor
Penetrans erodit, trepidum & cor
Conturbat, vertit, ſuffocat.
Heu mihi quibus ærumnis iactor,
Vexor, rapior, fluctuo, mergor,
Barbarus obtruncat foris enſis,
Nihilo & viduata minus ſæuit
Mors mœnia peſtilis intra.
ERVMPENTES *pectore nequeo*
Queſtus turbato cohibere.
Cuncti audiuere meos gemitus
Ridentq; auditis. Ecquis adeſt
Mea quem moueat ſors tam dura
Quiq; vicem auſit doluiſſe meam?

Illudunt

Illudunt omnes & gaudent
Quicunque vbicunque inimici ſunt.
Tete affligere me lætantur,
Mihi tete infeſtum eſſe triumphant.
Temporis ô ſi vindicis horam
Iubeas mihi oriri, & vice verſa
Mea ſors hæc vrgeat hoſtes.
I N C O N S P E C T V *illorum tibi ſit*
Improba praui elatio cordis.
Et tu falcigera carpe manu
Florentes ſucceſſu, pariter
Vt me propter mea delicta
Laudis ſpoliaſti omnis fructu
Circum accidiſtique decorem,
Vindemitor vt ſtirpem vuiferam.
Heu ſuſpiria duco ex imo
Pectore, lacrimis ora madeſcunt,
Triſtemque dolor lacerat mentem.
Trepidat cor, foris, intus, vbique
Tanto exanimata dolore
Omnia mœrent.

LAMENTA SECVNDA.

QVæ ſunt iſtæ tenebræ, aut vnde
Tam terribilis caligo orta eſt?
Qua circundata ſoboles tegitur
Splendida & illuſtris Solymæa.
Furor hanc celi conciјt Regis

Diuina

Diuina hanc tempeſtatem ira
Irritata ſui commouit
Immorigeri ſemper populi,
Semper refragantis, ſemper
Deſertoris, ſcelere immani.
Nunc quæ ſublimis caput olim
Altum inter nubila condebat,
Lapſa à ſummi vertice celi
In puluere terræ iacet humilis,
Et fœdat pulcri ac nitidi olim
Nunc pollutos corporis artus.
Sic Iſraelida dementem
Sic perfidia illam petulantem
Protector Deus ante, abiecit,
Et nunc ſinit immemor hoſtili
Proprium calcari pede ſcamnum,
Clementia cum pulſa furore
Irati iuſto, & reſpectus
Manſuetæ ad Solymæos curæ,
Patrio de corde receſſit.
QVICQVID *erat ſpectabile, quicquid*
Specioſum præclarumque, illud
Omne eripuit Deus euerſæ
Proli Iacobeæ ſuccenſens.
Inque calamitatum hanc mare merſit.
Nunc vaſta manes (genus antiquum)
Ditio magni fortis Iudæ.
Complanatæ foſſæ, & vallum
Diuulſum, turres deiectæ

Hoſtibus

Hoſtibus acceſſum ad te præbent
Liberum, humi neque iam proſtratæ
Tibi dehinc ſecuræ concedunt
Tempora placidæ tuta quietis.
At principis ordinis atque loci
Magnanimos, ſummos, præſtantes
Sapientia ibi & virtute viros,
At laude tuum excellens tanta,
Tam validum regnum tamque potens,
Intactum, inuiolabile, ſanctum,
Quo nullum vno pulcrius aliud,
Suſtulit heu quam fœda ruina,
Caſus contaminat heu qualis
Atque profanatum ſcelerate
Quam dedecoroſa premit ſors?
FVRIBVNDVS *merita Deus ira*
Populi diſiecit Abrahamidæ
Turmas, robur debilitauit,
Aciem fregit, diſpulit agmen.
Ordinibus diuulſos ægit
Turbatis retro ille maniplos.
Fugit ergo fugit præbens hoſti
Terga inhoneſta, nec audet dextram
Conſerere in conflictu Solymæ
Incola quondam interritus vrbis,
Neque ſuſtinet aſpicere armatum
Oculis aduerſarium apertis.
At flamma incenſa Iacobeum
Populatur genus, vndique vaſtans.

Nequeuntque incendia reſtingui,
Quibus omnia iam conflagrant
D E V S *ipſe Deus nos oppugnat,*
Deque arcu contento iratus
Tela infeſta in nos iaculatur,
In nos incitat hoſtiſque manus
Deus eſt, quis ferat hunc? inimicus.
Ergo trucidante hoc occubuit
Quicquid tua tentoria habebant
Pulcrum, memorabile, præclarum,
Deſolata propago Sionis.
Circum ignis quaque emicat ignis,
Furor exardeſcens diuinus,
Et nos includit medios.
N V L L I V S *hæc eſt vis humani*
Conatus Deus ipſe manu nos
Proſternens Deus inimica vrget.
Ruit ergo à ſummo Iſraëlis
Vrbs, ingens olim, præcellens
Viribus illa, viriſque celebris.
Propugnacla ſolo ſtrata iacent
Omnia, vt alto merſa profundo
Munimenta vrbis periêre,
Inque tuo populo optime Iuda
Iam nihil eſt reliquum, niſi humilitas,
Deiectio, probrum, contemtus,
Ludibrium, deriſio, pudor.
V T F E R A *amœnos belua vaſtat*
Hortos, tentoria ſic ipſe

Deiecit

Deiecit ſua. Sic ipſe ſua
Sancta tabernacula & intacta
Deturbauit Deus ira ardens,
Sabati non ille recordatus,
Feſtorum oblituſque dierum.
Solennibus haud lege ſacratis
Ille ſua temporibus, feſtis
Haud ille pepercit mandatis.
Perit vna cum Rege ſacerdos,
Et probrum pontifices veſtit
Indutos tunica ignominiæ,
Iraſcente Deo noſtro.
QVIN *etiam ille ſuum odio noſtri*
Altare euertit, deſtruxit,
Peſſundedit. Omnes deleuit
Ritus ſacrorum. haud magis vlla
In ſpacioſis cæditur atrijs
Salomonei victima templi.
Nullus in aris verbo adoletur
Præcepti ipſius turis honor.
Iacet illa ſolo magnifica ædes,
Iacet in celum extructio tendens.
Ipſa intacta prius, inacceſſa,
Clauſſa adytis, illa inconſpecta
Diuina oculis arca profanis,
Propria arca Dei domus æterni,
Tunc fracta, adaperta, eliſa fuit
Hoſti eheu ludibrium rabido.
In ſanctis penetralibus illi

Clamores horrendos, vocem
Exultabundi terribilem,
Fremituſque edebant obſcœnos,
Illius vice, quem ſæpe ſonum
Ingeminat populus pius, olim
Redeuntia ſacra celebrans,
FVIT *immutabilis iſta Dei*
Aeterna voluntas conſilij,
Arcis humum vt murus Solymææ
Dirutus, vt turreſque frequentes
Fracto tegerent marmore terram.
Opus hoc hoſtibus ille locarat,
Operaſque exægit, non aliter
Atque a conductis mercede
Veluti præſcriptum fune, mali
Ad definiti molimen.
Aggere luget foſſa reuulſo,
Sunt ſublimia mœnia aceruus
Fœdæ tumuluſque ruinæ.
PORTAE *illius inque pauimento*
Terraque iacent limine fracto.
Vectiſque eliſus munire
Deſijt vrbem ærato obiectu.
Si quæris Regem? Rex vinctus
Mœret & oppreſſus & afflictus.
Si quæris proceres? decus Vrbis
Periere omnes cæſi aut capti
Vi barbaricæ graſſante manus.
Genus eximium quæris vatum?

Quæriſq;

Quæriſque ſacerdotes? Nuſquam
Nuſquam ſunt, interiêre omnes.
Aeternæ doctores quæris
Et proditæ ab alto æthere legis?
Muta omnia vbique inueniuntur,
Cæca omnia, voce ſilente Dei,
Vultuque auerſo à nobis.
AT COETVS *ſeniorum imbellis*
Inquinat albos puluere crines,
Tacitique ingente dolore ſedent,
Caſuque ſtupent cladis acerbo,
Patriæque ſuum in funere lugent,
Heu pedore, ſitu, illuuieque
Squalentes. Spargitur immundus
Vertice cinis incano. Saccus
Sordidus interea pannoſa
Corpora duro cingit amictu.
Iam pulcra illuſtrium Iſaacidum
Frons, & facies ſplendida quondam,
Deformis humum iam prona petit
In lacrimis ora volutans.
EXTERSI *fletu pene oculos*
Perpetuo madidos, & qui iam
Lumine prorſus deficerentur.
Turbant intus pectora ſæui
Perculſa dolores, iecur ægrum
Defluxit, lingua eſt excuſſa,
Dira, immenſa, atrocia populi
Dum cernens mala deploro mei.

Heu mihi, heu mihi, medios inter
Infantis ſubito vagitus
Languida defectis exangues
Vita relinquit viribus artus,
Dum quæſitum fruſtra alimentum
Exucca negant vbera matris,
Occidente fame ſimul illam.
At latas inhumata plateas
Aetatis corpuſcula primæ
Impediunt, triſtiſſima quæ mors
Præfocauit, cibi egena.
EN MATER *morior clamabat*
Vicino paruulus interitu,
Deficiente ſono verborum.
Me miſerum an nullum panis adeſt
Fruſtum fragilis? fruges reliquæ
An nullæ ſunt amplius? an tu
Propriæ eripis ipſa cibum ſoboli?
En fauces ſpiritibus ſiccæ,
Colla ſiti aridaque, viam claudunt.
Miſerere parens miſerere tui
Immitis nati. Illa infelix
Complexa ambabus moribundum
Manibus, ſemianimum ori illius os
Admouit, dum licet, & fouit.
At filius exalat teneram
Animam in gremio effundens matris.
Complentque vias circumquaque
Iugulata fame, non ſecus atque

Hoſtili

Hoſtili conciſa ætatis
Primæuæ corpora ferro.
N O N I N *uenio circumſpectans*
Omnia, genus infelix populi
Solymæi cum quo conferre,
Cum quo componens exemplo
Te ſolari cohortando queam,
O nimis ærumnoſa Sioni.
Tua fluctus mala Pelagi ſuperant
Innumerabilia. Infiniti
Tibi ſunt pocla infuſa doloris.
Nulla potens tam ratio eſt aut res
Iſta vlcera quæ tua ſanet.
D E C E P T A M *te & circumuentam,*
Qui minime debuerant, Vates
Te ſeduxere tui miſeram,
Inque exitium præcipitarunt,
Ficta Dei oracula narrantes,
Auribus illa tuis iucunda.
Quibus eſt veſania dementi,
Et rabies adiecta furenti.
Qui vitiorum fœda tuorum
Mala ſi monſtraſſent & membra
Sanie & tabo putida tetro,
Forſan medicinam quæſiſſes,
Pertæſumque tui te tandem
Corripiente pudore fuiſſet,
Neque pergens irritare Deum
Pœnis pœnas accumulaſſes,

Hæc quo nunc offenſo pateris
Scelere impietatis petulante.
Quid viderunt illi? tibi quid
Retulerunt? quid enim niſi quo nunc
Fracta, euerſa, eiecta, inuiſa,
Extorris, iuga multis laſſa
Annis ceruice ferenda ſubis
Diuturno vrgente labore.
QVICVNQVE *hac prætereunt manibus*
Comploſis illudunt miſeræ,
Rident afflictam, ſubſannant
Proſtratam, dictis inceſſunt
Mordacibus euerſam & captam.
Hæccine ſtirps eſt inclita populi
Dominatoris quondam longe
Lateque in terris? iſte decor
Diuinæ ſpecioſus formæ?
Hæc totius lætitia orbis?
Hic regni celeſtis apex?
INIMICVS *clamore inſultans,*
Inimicus dentibus infrendens,
Inimicus conuicijs lacerans
Irruit in te rictu patulo,
Ceu fera deuoret vt correptam.
Audis quæ gloria verborum,
Oris gaudia quanta proterui,
Quanta ſit exultatio vocis
Hoſtilis? iam venit ecce dies,
Iam tempus adeſt expectatum.

Inuen-

Inuentum quod quærebatur,
Quodque petebatur conſpectum eſt.
Deſiderium hoc erat omne.
Qvæ *mundi conditor iſtius*
Conſuluit, ſtatuit, propoſuit
Et quæ mandauit & edixit
Veridico vatum ore priorum,
Hæc, illo parcere nolente,
Omnia nunc in te reciderunt.
Nunc ſunt heu completa, peracta,
Finita. iaces miſerabiliter
Diruta, deſtructa, ſolo æquata.
Hoſtibus has Deus addit vires.
Ergo immiti pede preſſa gemis.
Verticem & alte tuus extollit
Tanto victor honore ſuperbus,
Picti & ſublimis celſa ferit
Domito te ſidera mundi.
Gemitvs *fruſtra pectore ab imo*
Edo calamitates reſpiciens
Tam populi diras Solymæi,
Tam miſerandam vrbisque ruinam.
O mundi conditor & rector
Miſerere tui miſeri populi.
O miſeri implorate auxilium
Celeſte auxilium celeſte,
Prece ſemper veſtra orante Deum.
Nocte atque die humectate genas
Heu fonte perhenni lacrimarum,

Heu largiſluis oculorum vndis.
Non ſileat vox lamentorum
Semper vigilante dolore.
I N C I P E *queſtus incipiente*
Nocte tuos, manent ex oculis
Lacrimarum amnes corda liqueſcant,
Vt quondam tepidi imbribus Auſtri
Diluitur nix montibus altis,
Aut radijs ſluit illa ſoluta
Iam minus obliquis Phœbeis.
Effunde tua ante Deum fletus
Lamenta, preceſque animi mœſti.
Tolle manus ſublimem ad Olympum,
Tolle ſonos vlulatus trepidos.
Deplora infantes quos miſeros
Abſumſit toto hoc ſæua fames
Tempore cladis. Corpora quorum
In fœdo puluerę parua iacent,
Illamque notant abiecta viam
Qua mater graditur captiua
Deflens alios ante necatos,
Paulo obſeſſa prius vrbe.
O T R I P L I C I S *Deus arbiter orbis,*
O pater huius proprius generis,
Quos igitur tam miſere affligis?
Quos tam crudeliter inſequeris?
Exagitas, ſpolias, concidis?
Nempe tuos, quos ante ſolebas
Dextra protegere omnipotente.

An

An vero auditum eſt? hoc alium
Vnquam pacto populum quenquam
Eſſe attritum, fractum, eliſum.
Vt fœtus ipſa ſuos mater
Lanians malis manderet epulas
Infandas, hanc furioſa fames
Strueretque dapem, ſectam in fruſta
Qua coqueret vix vtero egreſſi
Carnem lacteoli impia nati
Impia mater rabioſa parens.
At ſtrages interfectorum
Pontificum penetralia templi
Fœdant, iugulatusque ſacerdos
Cum vatis ſanguine commiſcet
Profuſum cæde cruorem.
IN TERRA *puerique ſeneſque*
Iacuerunt, Iuueniſque & Virgo
Exanimes, ſtrages horrenda.
Alij rapiuntur in exilium
Ita mucro, fames, vincula miſeros
Simul Iſraëlitas vrgent.
Vtque macello lanius quondam
Cædit grandes atque minutas
Pecudes cultro armatus acuto,
Aut agnum cocus in fruſtra ſecat,
Sic ira Dei ſæua pepercit
Nulli ætati aut conditioni
Commota ſemel, comminuitque
Plagifica ſexum manu vtrumque,

Populique ſui genus omne.
VNDIQVE *conuenere vocati*
Vt quondam ſolennem ad cœtum
Qui me diriperent, iugularent,
Inflammarent, popularentur.
Circumdata, cincta, incluſa fui,
Ipſo obducente Deo hoſtilem
Et ſtipante manum omni ex parte
Ne quo fuga captæ vlla pateret,
Neue ſalutis ſpes reliqua eſſet.
O ſoboles mea miſeranda iaces,
Hoſtis barbarico crudelis,
Infelix, inuiſa Deo,
Enſe peremta.

LAMENTA TERTIA.

VIDEO *infelix quam ſit Domino*
Iraſcente polique ſolique
Sors mea triſtis, quoque reciderim
De quanto culmine lapſa.
DVCOR *inops, rapior mendica,*
Tenebris inuoluor, lux oculis
Ignota meis, quo nunc abeam,
Vbi conſiſtam? dubia, incerta,
Expes, errabunda vagor.
IN *me conuerſus me ſolam*
Sine fine premens, iræ abſumſit
Vires implacabilis omnes

Deus ille prius mihi propitius
Infeſtisque exagitans ſtimulis
Aßiduo verbere pulſat.
CORRVGATA *cutis mea tanquam*
Effœti corporis ætate
Fluxam continet ægre carnem,
Intus & oſſa labant contrita,
Membraque flaccida deficiunt.
Me infeſto cinxit amariferi
Vallo circumquaque laboris,
Dolor vndique & vndique mœror.
In tenebras me præcipitauit,
Tenebras atræ ſimiles morti,
Morti ſimiles æternæ. Nec
Fulget ſpes vlla ſalutis.
INCLVSA *vndique, circumſepta*
Vndique teneor, conſtringorque,
Effugium mihi nec patet vllum,
Et religor compede dura.
QVIN *& clamoris ad ille mei*
Vocem obturat ferreus aures,
Has & nullis aperit precibus.
Sæuam neque mitigat iram.
QVA *fugiam? obiecta viam ſaxa*
Quadrato tanquam opere obſtructam
Impediunt, neque ſemita callem
Occulta mihi exhibet vllum.
QVOD *ſi etiam altas impigra ſiluas*
Hinc elapſa fuga & loca ſola

Forte

Forte petam, vrſus adeſt, occurrit
Sicca Leo fauce timendus.
SED *nihil inſidiæ me lædunt,*
Vi manifeſta deſtruor, & me
Diripit euerſam hoſtis iniquus,
Rabies & barbara vaſtat.
DIVINAE *iræ arcus contentus*
Me miſeram me petit, vt ſignum
Ad quod miſſa ſagitta volat.
INTRA *viſcera penetrant huius*
Telorum plagæ mea crebræ.
Vacuis & arundo iam pharetris
Quid feriat non habet amplius.
Sic omnes, heu, tamen afflictum
Sic lacerum & percuſſum corpus
Derident, ô noua plaga, noui
Cruciatus. ludibrij quoque iam
Cantu inſultante, dies totos
Mala vulgo eheu noſtra ſequuntur,
Propriæ & ſum fabula genti.
POTVM *infudit Deus iratus*
Mihi amarum, & potare coëgit
Calices miſtos felle frequentes,
Abſinthique inamabile flumen,
Ebria quo pectora languent.
CVNCTOS *ſilice impacta dentes*
Ille meos confregit, & inde
Pabula cineris fœdi eliſis
Ingeſſit triſtia malis

O M N I S *defecit vis animæ,*
Robur & in me eſt omne retuſum,
Nec iam memorem conſolatur
Læta recordatio mentem.
T V N C *ergo ærumnis in tantis*
Cum finem nullum proſpicerem
Infeſtæ mihi numinis iræ,
Eheu ſpes etiam omnis ademta
Diuinæ opis eſt? inquam. periјt
Fiducia qua ſuſtentabar
Qualis adhuc cunque ſalutis.
N O N *deſiſtam clamare tamen.*
O pater æterne Deus celi
Conditor & terræ pelagique,
Rex cunctorum & conſeruator,
Reſpice ad hanc ſortem tam miſeram,
Reſpice amari pocula fellis
Ingrati & calices abſinthij,
Quos me exhaurire coëgiſti.
Reſpice tantos quæſo labores
Exilij, famis, interitus.
P E R P E T V O *hæc tamen abdita noſtro*
Supplicij inclementia tanti
Hærebit tabeſcente animo,
Et corde recordante malorum,
Semper eruntque mihi in conſpectu
Plagæ, illarumue cicatrix.
A T Q V E *hæc repetens renouare meam*
Pectore ſpem fidente ſtudebo,

Nec deſpondebo animum infirmum,
Et opem Deus implorabo tuam
Prece ſupplice ſemper adorans.
QVOD *reſtat ad huc aliquid noſtri,*
Quod non omnia ſunt deleta,
Propitio ſit parcente Deo, &
Commotam auertente ruinam,
Et commeritos miſerante malum.
Nam diuina omni tempore habet
Nullum clementia finem.
MEMINI *, ſcio, noui, mane recens*
Semper tua manſuetudo redit,
Placidum nec cor vincitur ira,
Ira iuſtæ vindice pœnæ
Neque fallunt promiſſa fidem.
NVNQVID *anime, quicquam aliud ſupereſt*
Niti quo poßis, niſi celi
Rex & Dominus Deus æternus?
Quid nonne etiam ille ſuæ propriam
Te ſortis partem eſſe fatetur?
Sic eſt, opperiar taciturnus
Dum leni reſpiciat vultu,
Sua lumina qui nunc iratus
Flectens auerſa tuetur.
CVI *Deus eſt bonus atque benignus?*
Quem dextra ſubleuat ille ſua?
Cuius & hic facilis miſeretur?
Qui ſpem ſuam in hoc collocat omnem,
Hanc neque duro tempore ponit,

Et

Et venerans diuina requirit
Fidenti numina corde.
ANIME *expecta, requieſce, tace,*
Melius nil eſt. Conſiſte, ſile,
Obſtrepera imo pectore reprime
Indignantis murmura vocis,
Spemque ſalutis retine certam,
Neque curas adde dolori
PRODEST *à tenera ætate iugum*
Geſtauiſſe ſuum, ſeque Dei
Dextræ ſubieciſſe potenti,
Neque duram flectere ceruicem
Detrectaſſe, premente Deo.
TVNC *aliquis deſertus & omnis*
In terris humanæ opis expers,
Reſidens ſolis ſolus in oris,
Super inflexa reponit genua
Triſtem & crebris lacrimis vdam
Manibus prahendens faciem implicitis,
Quæſtu mœrens taciturno.
FOEDO *& puluere polluit ora*
Nec deiectum tollere vultum
Nec celi audet templa tueri,
Spem tamen humili mente fouet.
INFLICTAS *ille genis alapas*
Fert, atque inimicæ probra manus,
Improbæ & ad conuicia linguæ,
Adq; oris maledicta procacis,
Animo obmuteſcit inulto.

 Nam

Nam tandem certe finis erit,
Et manſuetudine pulſa cadet.
Incorrupti iudicis ira.
Illius & merito commotam
Flectet miſeratio mentem.
ABIECIT *nos ille ſuperbos,*
Et petulantem repulit ſobolem:
Idem ſed reſipiſcentes, &
Ad ſe confugientes, rurſum
Suſcipiet mitis. mitis enim eſt,
Nec habet manſuetudo modum huius,
Et miſeratio fine caret.
NEC *conſilio hoc, genus humanum*
Affligit Deus & caſtigat,
Vt penitus deleat ac perdat,
Proprium extinguens opus ipſe.
NON *vult pede conculcare ſuo*
Cunctos quorum nexa catenis
Ferratis crura fatigantur,
Conſtrictos & quos immitis
Vincla ligant dura cataſtæ.
NON *vult contritorum in terra*
Iudicio cauſſam etiam ille ſuo
Condemnare, vt eos afflictos
Funditus ipſe eradicet.
NON *Deus hoc in mentem induxit,*
Humanum genus ærumnoſum,
Se quaſi conniuente æterni
Mole premi aſsidua ſupplicij.

Iudex

Iudex erit & cognitor ipſe,
Neque iniquum decerni in quenquam
Quicquam, aut ſtatui patietur.
E T *reperitur dicere qui auſit?*
Forte aliquid fortuna ac caſu,
Rerum quarumcunque, vel ante
Eueniſſe, vel hoc tempore iam
Præſente geri, nec ab imperio
Domini totius omnia Mundi
Procedere, quæque euenerunt,
Quæque eueniunt, ſuntque deinceps
Annis euentura alijs.
Q V I D *garris impia lingua? quid os*
Audaciloquum & fare profanum?
Siue malum nos infeſtum vrget,
Seu copia adeſt læta bonorum,
Haud Deus alti Rector olympi
Immittit terris, ſecurus
Et vitæ & rerum humanarum.
Immittit enim ille profectò.
C V R *vero genus, hoc, humanum*
In vitæ curriculo inſtabilis,
Fremitu murmuris indignante
Repræhendere quorumcunque audet
Opus euentorum diuinum?
Te repræhende ipſum, te culpa,
Tua delicta accuſa, proprium
Condemna ſcelus & flagitium.
Quid ſpectas alium? quid confers

Meritæ cauſſas alio pœnæ,
Externis inhians peccatis?
Quo corriperis tute tibi autor
Tuque ignis ſtructor es ipſe.
VNVSQVISQVE *ad ſe reſpiciat*
In ſeque inquirat, ſe exploret,
Rimetur ſenſus ipſe ſuos,
Cordiſque receſſus ſcrutetur.
Et ſua confiteatur domino
Celi atque ſuo, peccata Deo.
Et ad illum conuertatur.
TOTO *pectore veniam oremus,*
Sublatis ad ſidera palmis.
Venerantes ſupplice voce Deum,
Animo ſperante ſalutem.
NAM *quod non deſtitimus noſtro*
Iram irritare tuam ſcelere,
Ideo nos iure affeciſti
Pœnis, adque preces es factus
Non exorabilis omnes.
TVA *nos indignatio penitus*
Oppreſſit. tua dextra cecidit,
Noſtri & te nihil vſque miſertum eſt,
Miſeris vt parcere velles.
INCREBVIT *ad te vox noſtra*
Clamore precis plorabundo,
Sed tu circum tibi nube data,
Non ſiuiſti illam penetrare,
Neque tangere te lamenta.

CVNCTIS noſtram gentibus eſſe
Exemplum gentem dedecoris,
Ignominiæ, tibi, probrique
Placuit diſiectam ſubuerſam,
Euulſam, extirpatam, nullo
Reliquam in numeroue locoue.
SVBSANNAVERVNT *nos rictus*
Hoſtes turpi immanis hiatu
Et miſeris, captis, euerſis
Crudeliter illuſerunt.
PRAEDICTA *heu mala & infelices*
Euentus, ærumnæque graues,
Pedicæ, anxietas, vincula mœror
Vndique nos miſeros vrgent.
ERGO *ex oculis ceu fonte meis*
Scaturit fletus perpetui amnis,
Germen populi dum cerno mei
Tam generoſum, nobile, tenerum
Tam immaniter eſſe reuulſum.
LVMINA *grauiter lacrimis noſtra*
Afflicta dolent, nec ceſſat aquæ
Manare frequens calidæ torrens,
Requies quia nulla malorum.
DONEC *ab alto vertat olympo*
Vultum Deus ad nos propitius
Placidum atque benignum ac hilarem.
VITAM *perimit continuato*
Decurrens noſtris lacrimarum
Ex oculis profluxu riuus,

Dum populi deſleo fata mei
Fœdam patriæque ruinam.
V T *Volucrem cepit me inimicus,*
Fraude ſecutus ſimplicem & arte,
Impediјt laqueoque pedes.
I N *aquas me merſere profundas*
Verticem vt illæ ſuperundarent,
Tunc deſperabunda ego voce,
Me miſerum, inquam, perij, interij,
Actum eſt, ſpes nulla relicta.
R V R S V M *in tetra carceris vmbra*
Sed opem auxiliumque tuum implorans
Te voce tremente rogaui.
T V Q V E *meos exaudiuiſti*
Clamores aure benigna, ô ſic
Illa deinceps pateat precibus
Cum gemitu quas & ſingultu,
Mœſto de pectore fundo.
O T E, *reſpice, quæſo, vocantem,*
Et vultum ad me verte benignum.
O mihi vocis ſonus optatæ
Contingat timuiſſe vetantis,
Et opem policentis certam.
C A V S S A M *iudex cognoſce Deus*
Ipſe meam, caput & defende,
Dubiamque tuere ſalutem.
C E R N I S *violenta quod affligat*
Hoſtilis me iniuria dextræ,
Quodque ſuperbia faciat nullum

Finem

Finem inimica, modumue proterui
Inſultus teneat. Tu mihi ius
O Deus expediiſſe memento
Et ſimul aſſeruiſſe meum.
N o n *latet horum dira voluntas*
Nulla fugit te de tot ſcelerum
Facies, inimici quibus in me
Debachantur, dum me abiectum
Proſtratumque ſuo conculcant
Turpiter ignominioſeque
Me diſcerpente furore.
Conſilia in me ſunt tibi acerba
Eſt opprobriique inimicorum
Infamia nota maligni.
N o n *tu certe Deus ignoras*
Quid commentetur ſecum, & quid
Aduerſum me inflammata odio
Hoſtilis turba loquatur.
A s p i c e *veſpere quando quietem*
Exacta ſero luce petunt,
Matutino membra cubili
Pariter quando leuant, Me cantu
Obſcœno celebrant, & caſus
Miſerandæ triſtes ærumnæ
Exagitare modis probroſis,
Turpi neque voce verentur
R e d d e *Deus iuſte manuprecium,*
Horum quod opus tale meretur,
Parque pari refer his quod doleat,

Miſeros cruciet que viciſſim.
P R O F *liga hos perculſos tanquam*
Scuti terrore tui, atque fugæ
Labor hos te exagitante fatiget,
Horrendaque minæ execranti
Trepidos clamore ſequantur.
A T R O C I T E R *ô Deus hos preme nec*
Conſiſtere ſub celo patere,
Et comprahenſos extingue
Stirpitus omnes.

LAMENTA QVARTA.

H E V *nullus color auri, nullus*
Reſtat obryſſi fulgor vt ante.
Sancta prius penetralia templi
Et inaceſſa iacent, marmore iam
Diſperſo fracta plateis.
A V R E A *quondam gens Solymaa,*
Magnorum inclita ſoboles patrum,
Summo à laudis culmine lapſa
Vilior illo eſt vaſe, quod vdo
Cano effictum exactumque rota,
Feruens ſubiecto, artifice manu,
Solidauit furnus in igne.
H E V *mihi, lamias, monſtrum horribile*
Lactare ſuos perhibent fœtus.
Et Draco pullis pabula prabet:
Filia populi ſed ſaua mei

Vbera

Vbera negat immitia natis,
Vt auis deſertis ſoliuaga
Illa feræ commiſta, locis.
TVNC *lactentis lingua palato*
Hæſit pueri. Voce tenella
Alium panis fruſta petentem
Occupat atra fame Mors. Heu mors
Mortis cauſſa futura parenti,
Nil nato quod det habenti.
QVI *delicijs prius aſſueti,*
Belliſsima carpebant tantum
Inter faſtidia communis
Dapis, illi deficiente anima
Contabeſcunt, quoſque tegebat.
Biſsina quondam & ſerica veſtis,
Nunc coguntur puluere fœdo
Se quisquilijs amicire.
GRAVIORA *mei ſunt delicta*
Populi infelicis, maiorque
Impietas, quam quæ ſubuertit
Nouo, inaudito, portentoſo
Vimque humanæ ſuperante modo
Sæuitiamque manus, ſceleratas
Terræ Sodomitidos vrbes.
GENERIS *fuerat Naſſaridarum*
Illo in populo qui decor ante
Eximius, niue candidiorum,
Lactea quorum colla nitebant,
Roſeusque coralia vincebat

Vultus, ſpecies contendebat
Saphiro clara micanti:
N I G R E D O *horum iam carbones*
Superat, nec cognoſci patitur
Hos miſeræ in regionibus Vrbis.
Iidem ægra vix anima ſpirant,
Macritudine ſunt pellis & oſſa,
Arida ſicco corpore membra
Pertica tanquam annoſa, rigent.
Q V A N T O *erat occiſorum melior*
Ferro ſors, ſorte necatorum
Iugulatrice fame? quos tetra
Tunc conſumtos tabę peremit,
Lenti violentia fati.
T V N C *aliqua ſuauiſsima cara*
Et amantiſsima ſobolis mater
Stimulante fame rapuit natum
Et mactati coxit in olla
Artus ſcelerata diſſectos,
Carne ſuam carnem aluitque ſua.
Tam fuit horribilis communis
Clades illa calamitatis.
E F F V D I T *Deus iræ immitis*
Vim ſæuitiamque ſuæ totam,
Quæque ipſi indignatio ſuaſit
Omnia nunc furor illa peragit.
Vrbem flamma Sionida vaſtam
Reddidit, ima etiam depaſcens
Quondam immobilia excelſarum

Accenſi

Accenſi diuinitus ignis
Vi, fundamenta domorum.
INCREDIBILIS *cunctis huius*
Exitus in toto fuit orbe
Cladis, vt intra mœnia quisquam
Victorem inferret noſtra pedem.
Ne reges poſſe quidem accidere
Tale putauerunt quicquam.
HANC *vatum peccata tuorum*
Commouere, ſacerdotumque
Tantam, crudele nefas, cladem,
Impia quorum ſæpe cruore
Inſontum ſancto hominum terræ
Auſus auerſantis ſcelerum,
Dextra pauimentum tinxit
CVMQVE *ipſi animus excæcatis*
Huc illuc allucinarentur,
Polluti ſanguine & horrendis
Cædibus, alios auerſantes
Tanquam contagia vitabant.
Replicata & veſte recedentes
Fugitabant velut immundos.
CEDITE *clamabant, fugite, ite,*
Impuri cedite, ne quicquam
Contaminet attingens aliquis.
Tum iurgari & conuiciari, &
Maledicta ingerere ore proteruo.
Hæc animaduertentes aliæ
Gentes prædixere ruinam

Ven-

Venturam, & triſtes interitus
Euentus impendentis.
N v n c *Deus igitur faciem obuertens*
Vindictæ pœnæque minacem,
Diſiecit ſubuertitque omnes.
Nunc Deus igitur faciem auertens
Propitium, vultumque ſerenum
Captos occiſosque reliquit,
Quemque ſenum quemque ſacerdotum
Cœpit miſeratio nulla.
I n h i a b a m v s *opi auxilioque*
Fruſtrabundo, deficientes
Succurſum opperiendo vanis
Futilis animis gentis inanem,
Gentis copia defendendi
Eſſet cui nulla, alijs poſſet
Vt conſeruare ſalutem.
A t *veſtigia iam noſtra pedum*
Trepidorum incerta labaſcebant,
Actis cum formidine nuſquam
Perfugium ſe tutum offerret.
Scilicet hic finis erat noſtri,
Regni & terminus hic præſcriptus,
Et noſtrorum hæc ſumma dierum?
Vt iam ſint cuncta peracta.
V i n c e b a n t *aquilarum celerem*
Impete nos vrgente volatum
Hoſtes infeſti inque ſequentes.
Illi & nos in montibus altis,

Illi & nos in vallibus imis,
Exagitarunt, ſoliſque locis
Struxere inſidias nobis.
I L L E *autem quo nos confiſi*
Hunc vndique tutum fore populum
Sperabamus, Rex & Princeps
Ille oleo celeſti imbutus,
Scelera inter comprahenſus noſtra
Abſtrahitur, capitur, vincitur.
At nos freti hoc iactabamus,
Facilem gentes alias inter
Vitam ducturos, illius
Alarum veluti vmbram ſubter
Degentes absque periclo.
G A V D I A *Idumæos lætificant*
Qui vicina colunt loca Arabiæ,
Nos deletos eſſe videntes.
Gaudia licet illos lætificent
Miſcentur tamen ipſis etiam
Pocula amari ſæua furoris.
Quibus ebria gens ſpoliata diu
Cumulatis opibus, nuda & inops
Omni ſpe deſtituatur.
S E D *tua ſunt peccata Sioni*
Nunc deterſa, iterum nunc pulcra
Virgo perhibeberis & caſta,
Et cara Deo. non magis ille
Sedes iratus mutabit,
Vertetque ſui populi regnum.

Te vero vltio Idumai grauis,
Turpiſque manent dira ruinæ
Fata, tuis debita delictis.
Nuda, infamis, deformis
Semper eris, ſuper iræ
Te exundante Dei
Impete toto.

PRECATIO PROPHETAE HIEREMIAE, VERSIBVS Hexametris expoſita.

O *Pater, ô mundi totius conditor ô qui*
Aeterno imperio à te cuncta creata gubernas,
Reſpice ad ærumnas Deus ô ſanctiſſime noſtras,
Noſtra vide & placido clemens opprobria vultu.
Vt te diſponente Deus poſſederat olim
Iſraeligenæ genus & ſtirps inclita Iudæ,
Quam mox externus ſortem occupat, inde tuoſque
Hæredes longe violentis deijcit armis:
Sic niſi deſinat interni violentia Martis,
Ne tandem euertat vereor nos barbarus hoſtis.
Deſertis queritur, tuus, his orbisque Propheta
Argenti precio potum eſſe & ligna paranda,
Potum vndas viles, & ſiluæ fragmina ligna,
Atque illos inſtar pecudum miſeros agitari,
Concedi & feſſis nullam afflictiſque quietem,
Aegypto & ſeruijſſe tuum Aſſyriæq; ſuperbæ
Dilectum quondam populum, vt merito ille laboris
Pellere pane famem poſſet, neque morte periret

Fun-

Funditus extinctus. Quam de maioribus in ſe
Indignaretur pœnam fluxiſſe, quaſi ipſi
Nil commiſiſſent damnabile. Nos damus, inquit,
Supplicium infelix populus, peccata luentes
Sera patrum. Nunc qui domini ſunt ante fuere
Seruilis manus, imperiũ heu quam triſte & acerbũ
Horum eſt? vt ſeruorum in heros ſolet eſſe, nec vlla
Spes libertatis ſe oſtendit, quærere victum
Cogimur inque locis ſolis vitaque periclo,
Nos vrgente fame & diro mucrone petente,
Dum cutis exucci rugatur corporis, inque
Furni exuſta modum nutrimenti aret egena
Quid magis eſt humili nũc vile Solymide? quæ iam
Virgo, aut deformem non luget fœmina vitam?
Primates laqueis ſuſpenſos vidimus, hoſti
Non canum caput aut facies veneranda pudorem
Incuſsit, formoſa annis & nobilis ætas,
Et cœtus puerilis quid probri tulit? & quam
Victoris ſubiens eſt vim perpeſſus iniqui?
Porta caret ſenibus, iuuenili carmina nullo
Læta choro reſonant, cum fletu gaudia mutat,
Cum gemitu riſus funeſti iniuria belli.
Conuulſa omnia ſunt noſtri ornamenta decoris.
O nos, ô miſeros, ipſi peccauimus, ipſi
Pœnarum cauſſas cumulauimus, hinc dolor hinc eſt
Caligo lacrimas inter mœſtasq; querelas.
Hinc deſolatum plorat vox noſtra Sionem
Cultu hominum, crebris vulpem admiſiſſe cauernis
Sic horum Helciades verbis & voce querentum

Supplice, ſpe tenui, miſeri poſt triſtia damna
Euentus, iuſtam placauit numinis iram:
Sic etiam rebus præſentibus applicuiſſe,
Ante preces, & decreta vſurpaſſe ſeuera
Pœnarum, hocq; modo quæ reſtant addere, cura
Sit nobis peragentibus iſto cætera pacto
Verba precum paribus communiter apta periclis.
Immota æterni ſedes, Deus eſt tua, regni,
Imperij ſtat ſumma tui ſine fine poteſtas,
Sed cur perpetuo tamen obliuiſcere noſtri?
Cur inopes nos deſtituis, ſoloſque relinquis
Infinitorum demerſos clade malorum?
O pater huc aduerte oculos vultumque priorem,
Quem tua ſæpe tuæ oſtendit clementia genti.
Et nunc ad Dominum deſertrix vt redeat mens
Et fugitiua ſuum, tua nos pater alme, reducat
Dextra viam in veram palabundoſque vagoſque.
Nam niſi te poterit ſe conuertente reuerti
Letifero nemo ſcelerum de calle ſuorum.
Nos tua manſuetudo leuet, renouetq; fauorem
Antiquum, & meritas non exigat vltio pœnas.
Qui nunc abiectos dextra feriente repellis,
Et cuius tetrica eſt nimium, nimiumq; timenda
Præq; tenorem ſe fert implacabilis ira
Perpetuum facies, ſemper peccantibus atrox.

AD GERMANIAM VT conuertatur ad curam ſalutis ſuæ.

QVO miſera labere? quo ruis Germania!
Cur bella bellis aggregas?
Adhuc recente ſanguinis campi madent
Ciuilis vdi flumine.
Cognata adhuc & cæde polluta manus
Cruore gentili tepent:
Et alteras veſana iam circumſpicis
Origines belli & minas.
Nec Martis excitata ſinis incendia,
Tua excitata audacia,
Cupidiniſque ſcelere rabioſa impio,
Funeſta & odiorum face:
Studio opprimi boni & fidelis conſilij,
Monitus ſalutarique ope
Cur Parricidarum eſt tibi vox gratior
Ciuis quam amantis patriæ?
Biennio tellure eheu quantum ſua
Fuſum eſt alumni ſanguinis?
Non vt paterna tutus arua poſſidens
Colonus, & auitam caſam.
Securum aret ſolum, quieto iugera
Illæſa ſcindens vomere,
Et copioſa meſſe compleat horreum,
Lætus ſuo & poſſit frui,
Quod barbarus reiectus hoſtis finibus
Exceſſerit Germanicis,
Et auſit Iſtri vltra procul conſiſtere
Vix iam tremens ripas ſui.
Sed hoc agit vis hæc, furorque Martius

 Armiſq;

Armisque & hoc his quæritur,
Vt vota Teutonis ſecundum Turcica,
Vel ſi qua ſunt conſimilia,
Seſe ſua ipſa iugulet infelix manu,
Propriam & ſtruat ſibi necem,
Heu Teutonis beata terra, viribus
Florens & ante hac viris.
Patratur hoc ab hominibus tantum nefas,
Ortus quibus diuinus eſt,
At cæteræ cauent ſuo ſe beſtiæ
Cunctæ impetu concerpere.
Non Tigris in Tigrida ferocit, non aper,
Non vrſus, vrſos aut apros
Feralis ille dentis adigit fulmine,
Laniatu hic atroci necat.
Quin nec Draconum aut aſpidum in compar fera
Natura graſſatur genus.
Quid? quod ſolet animalium omne aliud genus,
Externa vbi vis ingruit,
Prioris oblitum ſtatim certaminis,
Si forte aliquod illi fuit,
Coire, ſeque mutuo defendere,
Et protegere communiter.
At hinc & illinc imminent pericula,
Non dignitati & nomini,
Sed iam ſaluti atque capiti Germaniæ,
Quam ſæuus hoſtis vndique
Signum ſagittifera quaſi olim dextera
Campo palam fixum, petit.

Aut

Aut vrget vt viſas columbas miluius
Superne velox inuolans.
Dic tu, tumultuare qui præ cæteris,
Largus opera Mauortia,
Tuue alter ille, dimicare qui omnibus
Et præliari vis modis,
Neque ſubtrahi fomenta potes igni pati,
Vt ardeat clementius,
Seu tu ſacri cenſere titulo nominis,
Seu conditio communis eſt:
Quid cogitas dic obſecro, aut quam concipis
In corde rationem tuo?
Te ne & tuas fore reculas ſaluas putas,
Tutumue patrimonium?
Deletæ in exitio & ruina patriæ,
Reique funere publicæ.
Heu mentis execrabilem vecordiam,
Et abominandam inſaniam,
Si quis ſibi hanc ſpem fingit, & patriæ manus
Ciuis ſuæ infert impias.
Sed nemo dicit aut fatetur, res tamen
Enuntiat quod os ſilet.
Fallor ne? an hoc eſt? dedecus pudet ſuum
Et probra conſcientiæ,
Oratione proloqui omnes, cum tamen
Furor exequi malus imperet,
Et quod aliquis non dicere audet, id facit,
Amentiæ œſtro percitus.
Id eſt profecto. Intelligens, ſciens, videns

Se gens trucidat Teutonis,
Sibi ipſa vim nefariæ afferens manus,
Tacitumque perpetrans ſcelus
Sed quam tamen dicemus eſſe originem,
Tantiue cauſſas quas mali?
Profectò deprauata vita, moribus
Et diſciplina perdita,
Et tranſmarina præpoſita noſtratibus,
Violata & legum ſanctitas:
Commouit iſtam calamitatem tam grauem,
Euertit & Germaniam.
Nam luxus & deliciæ & elegantia,
Et ſplendor intrauit ſimul
Vitam in priorem maſculam & fortem & probam
Patris Sueui aut Franconis.
Qui firma duro membra nixus robore,
Operis diurni poſt onus,
In ſe ſuaque capace familiæ domo
Requiem laboris carperet.
Ponente caſta eſcas inemtas coniuge,
Sedente propter & virum.
Et limpidas prole vegeta puris aquas
Menſæ aggerente ſeriјs.
Quod vile ſi feſtus dies vitulo cicer
Augeret, agni aut viſcere,
Vinum quoque, aut quod inſtar eſſet illius,
Scypho daretur fagino.
Nec inter hæc opus eſſet artes diſcere,
Lucri & facere cauſſa malas,

Vt

Vt ciuis alter eſſet aut opulentior
Nemo, aut pecunioſior
Poſt hanc nitidior ſubijt & venuſtior,
Sed innocens ætas tamen.
Qua dignitate Teutonum virtus fuit
Et aucta magnificentia.
Nunc nullus eſt licentiæ & vitijs modus,
Extrema in impudentia.
Sed nulla culpa, maior aut grauius ſcelus,
Peccatum & hoc deterrimum eſt,
Quod religionis veritas eſt & fides
Mendacijs fracta & dolis.
Regnatque paſſim vel ſuperſtitio mala,
Vel peior hac profanitas.
At qui docere auſi fuere ſedulo
Directum iter veri & boni,
Deique deplorare læſa numina,
Et Chriſte neglectum tui:
In hos negotioſa flamma, ferrum, aqua
Et carnifex dirus fuit.
Sic igitur eſt, Germaniam vindex agit
Profuſi pœna ſanguinis,
Quam ſanguine illa ſcilicet luet ſuo
Vaſtata flamma, ferro, aqua,
Te chriſte donec deſinat ſalutifer
Odiſſe demens & tuos,
Et cupiditatibus malis prætexere
Studium atque reſpectum Dei,
Verbisque præ ſe ferre ſanctimoniam,

Verum & fidem re prodere,
Talemque vitam moribus traducere
Et rebus ijs operam dare,
Quaſi in ſuam necem ipſa conſpirauerit,
Supereſſe nec magis velit.
Se fallat ipſum nemo, ſe certe Deus
Circumueniri non ſinet.
Aut addet hic in contumacia, malis
Prioribus ſæuus mala.
Aut precibus ira mitigabitur illius
Veraque pœnitentia.

PSALMVS LXIIII. APPENDIX SEPTEM INITIO EXPOſitorum, autoris eiuſdem.

1 AVDI vocem Deus meam,
Admitte ſupplicis preces,
Ab hoſtis immaniſsimi
Terrore libera horrido
Animam anxiam precor meam.

2 Conuentu ab occulto, precor,
Ac impiorum fraudibus
Me protegas nefarijs,
Turba ſceleſtaque eripe.

3 Poliunt vt enſes qui ſuas
Linguas acutos : dirigunt
Tinctas ſagittas toxico :
Proh rem nefariam & impiam. Sela.

Iacu-

4 Iaculentur vt pium feri
Locis opacis abditi,
Subitoque tela perfidi
Mittunt volantia vndique,
Truces ac imperterriti.

5 Varijs dolos coloribus
Turpes tegunt ac roborant:
Deque occulendis retibus
Palam loquuntur ſubdolis:
Quis, inquiunt, abſconditos
Nodos videre iſtos queat?

6 Occaſiones ſedulo
Captant & obſeruant leues:
Subtiliterque excogitant
Meditantur & fraudis genus,
Turpiſsimum ad finem vt queant
Perducere occultum ſcelus,
Ac prauitatem in pectore
Fouent abominabilem.

7 At hos Deus velociter
Figet ſagittis aſperis,
Appareant vt vulnera
Repente eorum hiantia.

8 Linguis vt impingant ſuis,
Proprijs cadantque fraudibus.
Fugient, ſtupebunt ac metu

Præ gelido, ſtragem vident
Quicunque eorum aſperrimam.

9 Homineſque conſternati ea
Cuncti videbunt: atque opus
Hoc inclitum palam Dei
Annuntiantes proferent.

10 Lætabitur ac geſtiet
Celebrabit ac Deum, pius,
Credetque in eum firmiter,
Et corde puro præditi
Dulci efferent ſe gloria.

IOACHIMI CAMERARII.

Eſſe orandum.

ANxia triſtificis & turbida pectora curis
Ardenti debent incubuiſſe preci
Ne vaga ceu Pelago vaſto mens fluctuet, intra
Firma ſed vt conſtet ſpemq; metumq; fides.

ITEM.

Nil curare hominis nihil eſt orare volentis.
Orat enim nil, qui curat habere nihil.
Ore pio ſed iam votis precibuſque peractis
Conuenit & curis impoſuiſſe modum.
Semper enim curas animo dubitante fouere
Illabefactatam non ſinit eſſe fidem.

Prouerb.

PROVERB. XXII.

Seruari integræ ſtudeas bona nomina famæ,
Ne maculent vitam turpia probra tuam.
Nam virtutis honos, & pulcræ ſplendida laudis
Omnibus eſt potior copia diuitijs.

Impulſus euerſus ſum vt caderem,&c.

Præcipitis iacui proſtratus culmine ſaxi,
Interitum & præ ſe certa ruina tulit.
Meq; impellendo euerſum nouus impetus vrſit,
Et ſpes de reliqua nulla ſalute fuit.
Cum me ſuſceptum miſerum tua dextra leuauit,
Sola afflictorum ſpesq; ſalusq;, Deus.
Meq; eadem fulcit clæmentia ſæpe labantem,
Nutanti & fidam porrigit illa manum.
Exitijq; malam depellens vndique peſtem
Sint facit vt vitæ tempora tuta meæ.
Hæc tua, Chriſte Dei fili, mihi gratia præſtat,
Eximiumq; tuæ eſt hoc bonitatis opus.
Nomine ſaluifico qui in terra carnis Ieſu
Induis humanæ virgine natus onus.

PROVERB. XX.

Præſidium regni iuncta eſt clæmentia vero,
Quæ bene fundatas ambo tuentur opes.
Iuſticiæ hæc cingunt ſolium regale corona,
Sceptrigerum & firmant multiplicando decus.

ΕΞ ΕΠΙΣΤΟΛΗΣ ΙΩΑΝΝΟΥ
ἀποστόλου κεφαλαίῳ τετάρτῳ.

Ἀπόστολος κελεύει
ἀγαπῆσαι χριστιανοὺς,
οἷον τοδὶ κελεύει
τὸν ἀπόστολον ὁ φιλήσας
υἱὸς θεοῦ ἀγαπητὸς.
τὴν τ' ἐντολὴν δίδωσι
ἀγάπης μόνην βιουργοῦ.
ἀγάπη θεὸς γὰρ αὐτὸς
ἀγάπην ἔδειξεν αὐτοῦ
ἣ ῥ' ἀγάπησεν ἡμᾶς,
υἱὸν ὅτι τὸν ἀγαπητὸν
εἰς κόσμον ὧδ' ἔπεμψεν,
ζωὴν φέροντα πᾶσι
ζῆν ὁπόσοι θέλουσιν.
οὐκ ἐστὶ δ' ἔργον αὐτὸ
ἀγάπης βροτησίοιο
ἀγαπῶμεν ἧπερ ἡμεῖς,
αὐτοῦ θεοῦ δὲ μόνου.
ὃς ἠγάπησεν ἡμᾶς,
φίλον τ' ἔπεμψεν υἱὸν.
ἁμαρτιῶν ἱλασμὸν
θνητοῦ γένους ἅπαντος.

εἰδ' ἠγάπησεν οὕτως
ἡμᾶς θεὸς, καὶ ἡμεῖς
ὀφείλομεν γ' ὁμοίως
ἀγαπᾶν ἕκαστος ἄλλον.
ὡς οὐδὲν εἶν' ἅπαντα
βίον βρότειον, εἰμὴ
ἀγάπην ἁπλῆν ἄληκλον.

PRECES.

E T *precor, & iubeor diuina voce precari,*
Benignitatemque inuocare, Deus túam,
Non virtute mea aut merito, aut placamine fretus
Alio, atque Ieſu Chriſte, nate Dei, tuo:
In terris qui factus homo, & crudelia paſſus
Supplicia obiſti gratia necem mea.
Cum peccatorum Mundi ingens totius huius,
Meorum & inter illa ſuſtuliſti onus.
Quid? poteratne alioue modo, aut ratione volebat
Saluum, integrum, incolume ſuum ſeruare opus?
Aeternus Deus, omnipotens, per quem omnia con-
Regniq; Dominus ſempiterni particeps? (ſtant,
Non poterat. facere iniuſti nil quippe volebat,
Qui veritas, iuſticiaq; & ſapientia eſt.
Hæc immota Dei fuit atq; æterna voluntas,
Decretum & arcani hoc ſalubre conſili.
Diuinæ iſta fuitq; tuæ ſapientia Mentis
Hominum vniuerſæ ſtultifica ſapientiæ:
Chriſte Dei fili noſter ſaluator, Ieſu:

O me

O me tui partem eſſe fac ſemper gregis,
Nactus vt æternam me te miſerante ſalutem
Gratis tuum nomen celebrem laudibus:
Te venerans ſolum, te relligioſus adorans
Solius imploranſque opem pius tuam:
Immortalis cum patre cum quoque flamine ſancto
Veriq; clementiſque & vnius Dei.

ALIAE MATVTINAE.

S*OL oriens profert Mundi aſpectabile lumen,*
Et varius rurſum iam fit vbique color,
Nos ſolem exciti verum ſomno veneremur,
Cuius ab æterno lux venit orta patre.
Qui quando rerum cunctarum exordia prima
Produxit formans voce creante, Deus.
In patrio conſors naturæ pectore fulſit,
Filius æquali conditione, Deus.
Qui propria miſerum culpa miſeratus Adamum,
Condemnatum vna totum hominumq; genus
In ſe pacauit deriuata patris iram
Pœna, pro nobis quam ſubeundo tulit.
Cœlitus in caſtam deſcendens virginis aluum
Conceptu & ſancti flaminis ortus homo.
Inq; cruce affigens hominum peccata pependit,
Peccati aut culpæ nullius ipſe reus.
Peccatum nunquam quia committendo patrauit,
Nullum & in hoc vitium culpaq; nulla fuit.
Vtq; iniuſticiam ille meam delendo remouit,
Sic mihi iuſticiam contulit ipſe ſuam.

At lux hunc poſtquam rediuiuum tertia vidit
Mox recipit Dominum regia celſa ſuum.
Patris vbi omnipotēs ſedet ad dextrā omnipotentis,
Vnus cum ſancto flamine vterque Deus.
O miſerere mei noſtræ autor Chriſte ſalutis,
Ne te implorantem deſeruiſſe velis:
Obſcuri inq; mei cordis luceſce tenebris,
O iubaris lumen lumine de patrio.
Spiritus aſpirante tuus te ſanctus & omne
Ad veræ mihi ſit Dux pietatis iter.
Hac ego vt in terris vita durante caduca,
Poſt & eam ſemper ſim maneamq; tuus.

Et dies eius ſicut vmbra prætereunt.

Vita hominis breuis eſt, velociq; incita curſu,
Et celeres abeunt ceu breuis vmbra, dies

*

Vita volat., currunt ætatis tempora noſtræ,
Vmbræ inſtar fugiens occidit orta dies.

*

Annum ſol redigit, menſes vaga luna reuoluit,
Tanquam vmbra cedens diſsipat hora diem.

*

Vmbra quid eſt? vana eſt excluſa luce figura,
Huius vitales ſunt ſimulacra dies.

*

Quid tibi ſtulte places, quare veſane ſuperbis?
Prætereunt vmbræ more modoq; dies.

Quid

*

Quid leuius vento tenui quid inanius vmbra,
Hæc vaneſcentes ſignat imago dies.

*

Vmbrarum eſt ſimilis mortalis temporis ætas,
Prætereunt illæ, vita abeundo fugit.

*

Non ſtat firma loco, ſed naſcitur & cadit vmbra,
Hoc humana modo tempora prætereunt.

*

Inſtar, vitæ hominum tempus conſumitur, vmbræ,
Ipſi euaneſcunt prætereundo dies.

*

ἡμέραι ἀνθρώπων ὥσπερ σκιὰ ἐνθάδε πᾶσαι
φεύγουσ᾽ ἐρχόμεναι μηδέποθ᾽ ἱστάμεναι.

*

Τὶ σκιά; ἔμφασις οὐτιδανὴ, τοιόσδε καὶ αἰὼν
ἐπὶ βροτῶν ὠδίπως ἀφανιζόμενος.

*

αἴσσει καθάπερ σκιὰ, οὐδαμόθ᾽ ἀτρεμέουσα,
τουτάκι καὶ θνητῶν ἄστατός ἐστι βίος.

Εὐχή.

Εὐχομένου μοῦ κλῦθι θεάνθρωπ᾽ ὦ φίλ᾽ ἰησοῦ,
χριστὸς ἀπ᾽ ἐκ προφανεὶς θεόθεν, βασιλεὺς ἁγίοιο
ἐν πίστει σέθε λαοῦ, ὑπέρ θ᾽ ἁγιάσαο σαυτὸν
οὗτινος, ἀμπλακιῶν ἐπιθεὶς σοι φορτίον, αἴρων
ἔκ τε μέσου τὸ καθ᾽ ἡμῶν χειρόγραφον, τό περ ἦεν
πᾶσ᾽ ὑπεναντίον ἀνθρώποις, σταυρῷ τε πρὸς αὐτὸ
ἡλώσας

ἠλώσας, ἠδ' ἐκ σῶν δόγματ' ἐπαχθὲς ἀλείψας.
ἡμέτερον γνωτὴν σοι τἀσθενὲς, ἡμετέρας σοὶ
οἶδα ταλαιπώρου βιοτῆς πολύμοχθον ὀϊζύν,
ἔμφυτον οὐκ ἀγνοεῖς κραδίης βροτέης κακότητα,
οὐδ' αὖ συγγενέας τε νόσους, ὅτι φαῦλά θ' ἅπαντα
σπουδαίων ἄπο χαιρεκάκου σαρκὸς προπέτειαν.
ἀλλὰ σὺ ἴασαι τὰμ' ἕλκεα χεῖρ' ἐπιδήσας
τραυματίην, σὺ δ' ἀφ' ἡμῖν δηλητήρι' ἄλεξον
ταῦθ' ὅσα μὴν ψυχὴν πρῶτον βλάψαι πεφύκασι,
τήνδε μέθ' ἡμέτερον δέμας εἴτινα λυμαίνονται,
σοὶ ἵν' ὁλόκληροι δουλεύσωμεν καὶ ἀκεραιφνεῖς
τῇ δ' ἐν ὁμιλέων ὁτίησι συνάξεται χρηστῶν
νῦν μὲν, ἐσαῦθι δ' ἐν οὐρανίῃ παρά σοι διαγωγῇ
κυρίῳ ὦμεν ἅμ' ἑσπόμενοι φιλοδέσποτον ἔθνος.

FINIS.

BIBLIOTECA IN ROMA

LIPSIAE
Imprimebat Andreas Schneider
TYPIS VOEGELIANIS.
Anno
M. D. LXXIII.